ANTONII

De Souſa de Macedo

Doctoris Conimbricenſis,

IN

Supremo Senatu juſtitiæ Luſitaniæ Senatoris

REPETITIONES

Ad l. corruptionem penult. C. de uſufructu, & habitatione.

ET

Ad l. Centurio 15. ff. de vulgari, & pupillari ſubſtitutione.

Perilluſtri, ac clariſsimo viro

D. *Gondiſalo de Souſa de Macedo,*

IN

Supremo Senatu juſtitiæ Luſitaniæ Senatori, gravaminum, & appellationum expeditori, cauſarum Coronæ, ac patrimonii Regii ſupremo Iudici, &c.

Patri ſuo colendiſsimo.

D.

LONDINI,

Ex Officinâ *Richardi Hernei.* 1643.

Perilluſtri, ac clariſsimo viro

D. *Gondiçalo de Souſa de Macedo*,

IN

Supremo Senatu Luſitaniæ Senatori, gravaminum, & appellationum expeditori, cauſarum Coronæ, ac patrimonii Regis ſupremo Iudici, &c.

Patri ſuo colendiſſimo.

ROgatus, ac rationibus motus ut typis ſine morâ traderem has juris repetitiones minùs, quàm optabam, perpolitas, ingentem me honorem (nullis obſtantibus defectibus) ex illis conſecuturum putavi ſi in principio voluminis filii talis patris decorarer titulo; nam, cum eadem quaſi ſit perſona patris, & filii, de me etiam prædicabuntur ſanguinis claritas, ſcientiæ ſublimitas, virtutis

integritas, quæ mundus nunquam de te (amantissime Domine) tacere poterit, at ego taceo ne laus vilescat in ore proprio. Hoc igitur opusculum Præstantiæ tuæ dedico certus de affectatâ gloriâ, & de benevolentiâ paternâ, quæ instar magnarum oblationum excipiet in parvis filialem amorem. Vive & vale diu Reipublicæ ac nobis.

Filius tui observantissimus,

Antonius de Sousa de Macedo.

Lectori Typographus.

GEneralis applausus quo Scripta *Antonii de Sousa de Macedo* à doctis approbantur, me incitavit ut ab illo importunis precibus quasi extorquerem has Repetitiones, quas tibi (amice Lector) offero expectans pergratas fore, sicut alia Autoris opera jam publicata; maiora quæ pendent, brevi habebis; interim his fruere, nostram voluntatem boni consule; & vale.

Richardus Herneus.

Solennis Repetitio

ANTONII De Souſa de Macedo.

AD

Legem corruptionem penult. C. de uſufructu, & habitatione.

Prooemium.

IN nomine Individuæ Trinitatis, Dei Genitricis Virginis Mariæ, ac beati Antonii Luſitani; habitâ deinde facultate auditorum inſignium. *Propoſitio*

Ad Solennem lecturæ curſum, illuſtrem Iuſtiniani deciſionem eligo enucleandam

in l. corruptionem 16, & pen. C. de uſufructu, quam gloſa *verbo, altercantibus, ad finem*, & Bart. *n.* 1. appellant *mirabilem*, & Bald. inquit: *Hæc eſt ſubtilis lex, & materia ejus de apicibus juris*. Ecce illius verba:

Textus. *Corruptionem uſusfructus multiplicem eſſe veteribus placuit, vel morte uſufructuarii, vel capitis diminutione, vel non utendo, vel aliis quibuſdam non ignoratis modis. Sed de uſufructu quidem hoc indubitatum fuerat: de perſonali autem actione, quæ ſuper uſufructu naſcitur, ſive in ſtipulationem uſusfructus deductus eſt, ſive ex teſtamento relictus, dubitabatur: morte quidem uſufructuarii, & capitis diminutione eam tolli omnibus concedentibus: non utendo autem, ſi per annum, vel biennium forſitan eundem uſumfructum non petierit uſufructuarius, ſi perſonalis actio tollatur altercantibus.*

Sed nos hoc decidentes ſancimus, non ſolùm actionem quæ de uſufructu naſcitur, ſed nec ipſum uſumfructum non utendo cadere, niſi tantummodo morte uſufructuarii, & ipſius rei interitu; ſed uſumfructum, quem ſibi aliquis acquiſivit, hunc habeat, dum vivit, intactum: cum multæ, & innumerabiles cauſæ rebus incidant mortalium,

mortalium, per quas homines jugiter retinere quod habent, non poſſunt; & eſt ſatis durum, per hujuſmodi difficultates amittere quod ſemel poſſeſſum eſt: niſi talis exceptio uſufructuario opponatur, quæ etiamſi dominium vindicaret, poſſet eum præſentem vel abſentem excludere.

Sed neque per omnem capitis diminutionem hujuſmodi detrimentum imminere noſtris patimur ſubjectis: (quare enim ſi filius familias fuerit is qui uſumfructum habet, fortè ex caſtrenſi peculio, ubi nec patri uſusfructus acquiritur, ei poſſeſſum, per emancipationem amittat?) Sed, ſecundùm quod definitum eſt, tunc eum tantummodo deſinere cùm uſufructuarius vel res pereat, & tantummodo eum cum animâ vel rei ſubſtantiâ expirare: niſi prædictæ exceptionis vigor reclamaverit: exceptâ videlicet tali capitis diminutione quæ vel libertatem, vel civitatem Romanam poſſit adimere: tunc etenim uſusfructus omnimodo ereptus, ad ſuam revertatur proprietatem.

Materia.

Continet modos quibus uſusfructus finitur; res (ut inquit Ant. Pichard. *in §. finitur Inſt. de uſufr.*) latiſsima, & quæ longiores, quàm in præſenti licet facere, poſtulat com-

mentarios; ut verò temporis anguſtiis conſulamus (omiſsis reliquis *ad d. §. finitur cum concordantibus* ubi tractantur ex profeſſo) hîc agemus de novâ tantùm, & ſic genuinâ, hujus textus concluſione, quam Doctores communiter bipartitam faciunt, ego autem in tres partes divido.

Diviſio. Prima dicet quo tempore uſusfructus per non utendo finiatur.

Secunda tractabit de præſcriptione actionis perſonalis pro uſufructu competentis; & quamvis, ſecundùm rerum ordinem, verbaque noſtri textus, priùs deberemus agere de iſtâ actione, quàm de uſufructu, qui eſt illius effectus: tamen, maioris claritatis gratiâ, mihi viſum fuit hoc loco eam ponere.

Tertia loquetur de capitis diminutione quâ uſusfructus expirat.

PARS

PARS Prima.

1 BReviter hoc intendit: uſusfructus non amittitur per non utendo niſi ſpatio temporis quo amittitur dominium proprietatis. Concluſio.

2 Cum ſit nova deciſio alibi non reperitur expreſſa; de eâ tamen meminit ipſe Iuſtinianus *in §. finitur Inſt. de uſufructu, in princip. Inſt. de acquiſ. per adrog. & in l. ſicut 13 C. de ſervit. & aqua.* Comprobatur.

3 Pro ejus cognitione ſupponendum, jure Digeſtorum neminem negaſſe uſumfructum non utendo finiri, & hunc eſſe unum ex modis quibus ille tollitur, *conſtat ex l. ſi is qui 20, l. ſi mulier 22, l. placet 25, l. ſi uſusfructus 28, l. Pomponius 29, cum aliis ff. quib. mod. uſusfruct. amit. l. 3. ff. ſi uſusfr. pet.* & refert Imper. in præſenti, qui nihil circa hoc innovavit. Ratio dubitandi.

4 Cujus rei eſt ratio, quia uſufructuarius habet ſolùm naturalem poſſeſsionem, *l. naturaliter 12, junctâ glosâ ibi in fine, de acquir.*

quir. poſſ. quæ non eſt potens ex ſe ad acquiſitionem fructuum, & ideo indiget, tanquam admīniculo, alio jure ſibi reſpondenti, ſcilicet ſeparatione fructuum à ſolo, factâ per uſufructuarium, vel per alium ejus nomine, ſine quo non fiunt ſui, *l. ſi fur, aliàs eſt l. arboribus §. Julianus ff. de uſufr. l. ſi uſufructuarius meſſem 13, quib. mod. uſusfr. amit.* Et hoc eſt quod dicitur; uſumfructum facto conſiſtere. *L. 1. in princ. ff. quando dies uſusfr. leg. ced.* De quo latiùs *Bald. in l certum 22. n. 2. & 3. C. de rei vindic. Cujac. recit. ſolen. in lib. ffforum ad l. 2. §. & ideo ſi uſufructuarius rei mobilis de uſufr. leg. Caſtillo de uſufr. cap. 67. n. 4. Gratian. diſcept. tom 5. cap. 807. à n. 2.* quod in omnibus ſervitutibus generale eſſe patet *ex l. 4. & ferè per totum tit. ff. quemadmod. ſervit. amit.* 5 6

Altercabatur tamen inter antiquos quanto tempore neceſſarium eſſet non uti ut uſusfructus per non uſum finiri diceretur? & crebrior ſententia exiſtimabat ſufficere annum, vel biennium; annum ſcilicet in uſufructu ſuper re mobili, vel ſemovente; biennium in uſufructu ſuper immobili; ut explicat 7

plicat *l. pen. C. de ſervit. & aquâ.* Hoc dubium præſenti textu noviter decidit Iuſtinianus, conſtituens requiri idem temporis ſpatium, quod ad præſcribendam proprietatem rei ſuper quâ eſt uſufructus, exigitur, de quo *in 2 quæſt. à n* 91. agemus latiùs.

8 Quæ termini præfinitio omni rationi eſt conſentanea; cum enim ſortes humanæ variæ ſint, (*ut habetur in l. fin. C. de præſcript. triginta*) multi caſus rebus incidunt mortalium (*prout loquitur l. inter antiquam ſupra hoc tit.*) propter quos homines jugiter retinere non poſſunt quod habent; erat igitur ſatis durum quod uſufructuarius humanis difficultatibus ad utendum impeditus amitteret uſumfructum per non utendo minori temporis ſpatio quam eo quod jus civile taxavit ad prçſcriptiones dominii ordinarias. Similiter æquum fuit non requirere plures annos, nam ſi tempus currat per quod dominium, & proprietas cujuſcunque rei regulariter præſcribatur, multò faciliùs uſus-
9 fructus finietur, cum ſit jus minùs validum, *argumento l. 3. ff. ſi uſufr. pet.* Iſta eſt ratio decidendi quam hic Iuſtinianus inſinuat. Ratio decidendi.

ſinuat *à verſic. cum multæ, uſque ad verſic. ſed neque, excluſivè.*

1. Ampliatio. Hæc concluſio per viam declarationis primò ampliatur, ut non ſolùm in toto uſufructu procedat, ſed etiam in parte, ut pro parte finiatur uſusfructus, ſi pro parte uſufructuarius non utatur; *deducitur ex l. excepta 14, & clariùs ex l. placet 25. ff. quib. mod. uſufr. amit*; Titius ergo habens totum uſumfructum fundi, ſi deſinat toto uti, totum perdet in futurum; ſi autem ſolùm utatur parte uſusfructus, v. g. vini, & non olei, vel uſufructu unius tantùm partis fundi, & non alterius, retinebit uſumfructum pro parte quâ uſus eſt, & amittet eum pro parte quâ non eſt uſus; intrante in hac ampliatione dicterio, quod juris eſt de toto quo ad totum, idem eſt de parte quo ad partem; *l. quæ de totâ 76. ubi gloſa, & Bart. ff. de rei vindic. l. qui ſcit 15, ubi gloſa verbo, quemadmodum, plura jura citat, ff. de uſur.* de cujus argumentationis vi latè Everardus *argumentor. loco 8.* & videndus Iaſ. *in l. juriſgentium 7. §. adeo n. 3. & 5. ff. de pact.* 10 11

1. Argumentum, Sed huic ampliationi adverſatur *l. 2. ff.* 12

quem-

quemadmodum ſervitutes amit; ubi qui iter, & actum habet ſi ſtatuto tempore tantùm ierit, non tamen amittit ſervitutem actus, & ſic uſu partis retinetur tota ſervitus. Reſpondet
13 verò jureconſultus inibi: *Ire quoque per ſe eum poſſe qui actum haberet*: quaſi dicat; iſte creditor, ex eo quod ſolùm ierit, non ideò videtur uti ſolùm ſervitute itineris, imò, cum in actu, quo ad commoditatem, contineatur iter, eoque actu poſsit uti ſolus eundo ſine jumento, *ut inquit textus in princip. Inſt. de ſervit*; rectè affirmari poteſt quando ivit uſum fuiſſe etiam ſervitute actus, & ſic eam
14 non amiſiſſe. (dum tamen ierit ſciens ſe etiam actum habere, aliàs enim actus per non uſum periret *ut advertit gloſa verbo ierit*, & *infra dicemus n 75.*) & eodē modo procedit *l. ſi ſtillicidii 8 §. ult. cum l. ſeq. ff. d tit. quem. adm. ſervit. amit.* Reſponſio.

15 Fortiùs obſtat gloſa in *l. cum notiſſimi §. in his, verbo, ſingulos annos, in fine C. de præſcript. triginta*; docens quod ſi debeo decem & ſolùm quinque ſolvi per triginta annos, alia quinque non præſcribo; ad quod ſubtiliter adducit textum *in l. cum fidem 4 C. non numer.* 2 Argumentum.

pecun. ubi partem debiti agnoſcens non po- 16
teſt reliquum impugnare; ſic ergo partem
uſusfructus ſolvens non poteſt partē præſcri-
bere, ac per conſequens in noſtrâ ampliatio-
ne creditor pro parte eo utens, pro aliâ parte
Reſponſio. eum non amittit. At reſpondetur in d. glo-
sâ, & d. l. *cum fidem*, diviſionem non tolle-
rari, quia obligatio de quâ ibi eſt individua,
unde partem ſolvens, per confeſsionem ſibi 17
præjudicat in toto; uſusfructus autem vini,
olei, hujus, vel illius partis fundi ſeparabilis
eſt, ſic diverſo jure poteſt procedere, ad
quod facit *l.* 1. §. *Trebatius ff. de aquâ quot.*
& æſtivâ.

2 Ampliatio. Secundò eadem concluſio ampliatur, ſeu 18
declaratur, ut non ſolum habeat locum in
uſufructu pro diviſo, ſed etiam pro indiviſo;
deducitur ex l. placet 25. *ff. quib. mod. uſufr. a-*
mit. pro diviſo appello quando Titius habet
uſumfructum partis fundi quæ ei eſt aſsig-
nata; quo caſu dictum extat talem uſum-
fructum per non utendo finiri; pro in diviſo
voco quando Titius ſimul cum Sempronio
habet uſumfructum fundi abſque diviſione,
ſed communiter ex iſto fundo uterque uſum-
fructum

fructum capit, tunc militat hæc ampliatio, ut ſi Titius toto uſufructu ad ſe pertinenti non utatur, totum amittat; ſi verò parte utatur, & parte non, pone quod percipiebat vinum, & non oleum, conſervabit eum pro parte quâ uſus eſt, vini ſcilicet, & perdet aliam, videlicet olei; quod & poteſt exemplificari in eo qui cum alio habebat uſumfructum ſervi, quo utebatur in aliquibus, & non in aliis.

19 Tertio ampliatur in uſufructuario ignorante uſumfructum ad ſe ex Legato pertinere; nam iſte etiam poſt aditam hæreditatem per tempus conſtitutum non utendo uſumfructum amittet de rigore juris; *probatur in l. ſi partem* 19. §. 1. *ff. quemadm. ſervit. amitt.* 3 Ampliatio.

20 & eſt ratio, quia cum legatum ab aditâ hæreditate rectâ viâ tranſeat in legatarium, *juxta tx. in l. à Titio ff. de furt. junctâ l. ſi tibi homo*

21 86. §. *cum ſervus de legat.* 1. etiam ignoranti acquiritur, *l fin. C. quando dies leg. ced. l. cum pater 77 §. ſurdo de legat.* 2. *l. filiusfamilias* 15. *in fine de teſtam. l. ſi à furioſo* 24. *in fine princi-*

22 *pii de act. & oblig.* & dominium, etiam ſine poſſeſsione, ei acquiritur, *d. l. à Titio ff. de*

furt. & quæ Accurt. in l. ſi ager 50. *verbo, rectè aget, de rei vindic.* ac proinde talis uſufructuarius regulę hujus textus manet ſubjectus, ſicut & alii.

Idem erit in quolibet acquirente uſumfructum ignoranter ex contractu, (per perſonas, ſcilicet, per quas nobis etiam invitis, & ignorantibus acquiritur, *juxta tx. in principio, & in §. item vobis, Inſt. per quas perſon. nob. acquir. cum concordantibus,*) idque per argumentum à pari, de quo gloſa, *per tx. ibi, in l. ſi ſocer* 44, *verbo, dicemus, ff. Sol. matr. in l. Pomponius* 9 *verſic. quemadmodum, verbo, haberi, de negot. geſt. & in aliis locis congeſtis ab Everardo argumentorum loco* 14. 23 24

4 Ampliatio. Quartò ampliatur in eo qui, propter juſtum impedimentum, congruo tempore non utitur; nam etiam tunc uſumfructum amittit. *Per l. unus ex ſociis* 34. *§. ult. cum l. & Atilicinus ſeq. ff. de ſervit. ruſtic.* Viget enim regula de quâ ſupra, ſi juris rigor attendatur. 25

Argumentum contra 3 & 4 ampliat. Verumtamen huic, & proximè antecedenti ampliationi obſtat, quod præſcriptiones contra deſides tantùm ſunt inductæ, *argumento* 26

27 gumento l. ut perfectiùs in princip. C. de annal. except. unde impedito non currunt, l. 1. §. ult. C. illo tit. ac proinde adverſus ignorantem, vel detentum uſumfructuarium tempus haud debet currere.

Propter hanc difficultatem gloſa in d. l. & Atilicinus, verbo, reſtitui, ff. de ſervit. ruſtic. diſtinguit inter præſcriptiones rerum corporalium, & incorporalium, ut in illis impedito non currat tempus, ſecundùm d. l. 1. §. ult. C. de an. except. in iſtis (è quorum numero eſt jus ad capiendum uſumfructum) ſic. Sed improbatur, quoniam differentiæ nullam rationem aſsignat; nec eſt ſufficiens quam ego conſiderabam, quod jus incorporalium tanquam minùs validum faciliùs a-
28 mittitur, argumento l. 3 ff. uſufr. pet. non inquam eſt ſufficiens, cum ſint æquiparatæ præſcriptiones utriuſque juris in noſtrâ l. corruptionem à verſic. cum multæ, uſque ad verſic. ſed neque; & certum eſt regulam d. l. 1. §. ult. in omnibus præſcriptionibus intelligi ut notavit Bart. in d. l. unus ex ſociis 34. §. ult. de ſervit. ruſtic.

1 Reſponſio.

Improbatur.

29 Quare ipſe Bart. ibi ex Cyno conſiderat im- 2 Reſponſio vera.

pedimentum juris, & impedimentum facti, ut illud præſcriptionem impediat, *ex citatâ l. 1. §. ult. C. de an. exc.* hoc verò eam non interrumpat, *ex l. 1. ff. ex quib. cauſ. maior.* ubi illius tituli reſtitutio dirigitur ad impeditos per factum (ut patet in ibi poſitis exemplis) ſic ſupponendo reſtitutione opus eſſe ad amiſſum jus recuperandum. Ea mihi videtur differentiæ ratio, quod impeditus à jure nullo modo poteſt tollere obſtaculum, unde meritò ei tempus non currit; at impeditus à facto aliqualiter, licet difficiliùs, poteſt agere, ideò ei non favet legum rigor; *Quod innuit gloſa in l. Senatuſconſulto 16, verbo, reſtituantur, ff. de de officio Præſidis.*

Impugnatur. Sed huic diſtinguenti reſponſioni obſtat graviter eadem *l. Senatuſconſulto de offic. Præſid.* ubi videtur, impedito de jure ad agendum reſtitui actiones, ita planè ſupponendo, eas præſcriptione amiſiſſe mero rigore.

Suſtinetur, ſed malè. Quapropter idem *Bart. ex Guillielmo* ſubdiſtinguit inter impedimentũ juris veniens ante actionem competentẽ, vel poſt; ut illo caſu non currat præſcriptio (de eo ſolùm intelligendo prius membrum ſupra poſitæ diſtincti-

ſtinctionis,) iſto verò ſic, *juxta d. l. Senatuſconſulto* (quam de hoc intelligit) *ff. de offic. Præſid.* quaſi huic creditori in inceptâ præſcriptione jam negligentia imputetur. Ta-
31 men oppugnatur à textu *in l. fin. §. donec C. jure delib.* ubi impedimentum juris, quamvis actioni ſuperveniens, à præſcriptione liberat; neque ſatisfacit Bart. reſpondens, impedimentum *d. §. donec*, etiam veniſſe creditoribus, & legatariis, de quibus ibi, ante actionem competentem contra hæredem, ideo impediiſſe preſcriptionem, non inquam ſatisfacit, quia, quo ad creditores, potiùs conſiderandam puto competentiam actionis à tempore defuncti, cujus obligatio (ex repreſentatione à legibus inductâ) in hæredem ſine intermiſsione continuatur; maximè, quòd conſideratio negligentiæ, quam pro fundamento ſubdiſtinctionis Bartoli ponderavi, militat etiam in his creditoribus, qui, defunctum conveniendo, poterant
32 præſcriptionem non inchoaſſe; & generaliter quod obſtaculum juris actioni jam competenti innaſcens, præſcriptioni reſiſtat probant, *cap. cum nobis, cap. auditis de præſcript.*

cap.

cap. quia diversitatem de concess. præb. ut contra Guillielmum, & Bart. advertit, *Abb. in cap. ex transmissâ n.* 13. *de præscript.*

Vnde ipse *Abb. ibi, quem Felinus sequitur*, distinguit aliter: aut quis à jure directè impeditur agere, & tunc non currit tempus, sive tale impedimentum acciderit à principio, sive post inchoatam præscriptionem, ut in filiofamilias, *d. l.* 1. *§. ult. C. de an. except.* in uxore pro dote, dum vivit maritus, *l. in rebus verſic. omnis C. de jure dot.* & aliis exemplis ab eo assignatis; aut non directè inhabilitatur ad agendum, sed extrinsecùs impedimentum venit, & tunc, quamvis sit juridicum, præscriptio continuatur, ut quando per judicem stetit, vel in feriis repentinis, *l. sed & si per Prætorem* 26 *in princip. & in §. si feriæ ff. ex quib. caus. maior.* & in casu d.l. *Senatusconsulto*, (quam sic interpretatur) *ff. de offic. Præsid.* Attamen coram me fallitur; stat enim in contrarium textus, *in cap.* 1. *in 2 p. & in cap. cum nobis* 14. *de præscript.* Vbi impedimentum schismatis facit dormire præscriptionem contra Ecclesiam; & idem in Ecclesiâ quæ non habet Prælatum, *d. cap* 1.

33

34

in

35 *in* 1 *p. cap. Auditis de præſcript.* Vel eum habet ſuſpenſum, *cap. quia diverſitatem de conceſſ. præb.* aut inutilem, ſeu dilapidantem, *cap. ſi ſacerdotes* 16, *q.* 3. cum tamen hæc impedimenta ſint extrinſeca. Nec ſe defendit *Abb.* dum hos caſus ſpeciales exiſtimat; cum nec textus ſpecialitatem denotent, nec illius ratio conſpiciatur. Veriùs ſanè exiſtimaſſet eos procedere ſecundùm generales regulas, quæ dictant Eccleſias non poſſe agere ſine
36 Prælatis, *ut per gloſam in d. cap.* 1. *verbo, ſi autem, de præſcript.* idemque eſſe non habere Prælatum, vel eum habere inutilem, ſeu ſciſ-
37 maticum qui Prælatus non eſt *ad textum in cap. quia diligentia de elect.* hæc igitur ſunt impedimenta juris, quæ, quamvis extrinſeca, præſcriptioni obſtant juxta prius membrum diſtinctionis *Bartoli*, de quo ſupra *n.* 29. & contra poſterius membrum diſtinctionis
38 Abbatis *de quo n.* 33. quæ non juvatur textibus ab eo adductis, cum eorum impedimenta, facti potiùs quam juris debeant conſiderari.

39 Et obiter non poſſum non dicere (quamvis ab inſtituto divertar) minus bene dixiſſe

Abbatem *per tx. ibi in d. cap. ex transmissâ in princip. & n. 13. de præscript.* tempore hostilitatis, vel pestilentiæ, quæ est hostilitas Dei fortior, præscriptionem dormire; quod etiam affirmavit Bart. *in l. naturaliter n. 22. ff. de usucap.* ubi notabile hoc appellat; cum potiùs meo videri textus dicant eo tempore præscriptionem currere, siquidem restitutione subveniunt, *l. item ei 14 cum l. seq. ff. ex quib. caus. maior; l. ab hostibus 18. C post limin. revers. ibi, actione recisoria restituuntur.* (Prius peritâ restitutione in integrum, ut *ibi Bald.* & ejus additio explicat) *l. ab hostibus 6 C. quib. non objic. longitemp. præscr.* quæ leges cum adversus captivum præscriptionem concedant, facilius procedent contra non captum; tx. clarior (quidquid glosa *verbo, postliminio*) *in cap. prima actione, ibi, ejus privilegio restituerentur*, 16. q. 3. juxta quos intelligendus est tx. quem *Bart.* allegat in *Constit. de Pace, Constant. §. sententiæ cuerfic. possessiones, ibi restituantur. & in cap. ex transmissa, ibi, restitui faciatis, de præscript.* non obstantibus præcedentibus verbis ibi, *præscriptione non currente*; vocat enim non currentem

tem præſcriptionem, quia in effectu eſt ac ſi non curreret propter reſtitutionem, & ſic etiam loquitur *d. l. ab hoſtibus C. quib. non objicitur long. temp. præſcr.* ibi *fruſtratimes*; nec eſt
41 novum quod unæ leges intelliguntur per alias *l. non eſt novum ff. de legib.* nec quod finis declaret principium, *l. ſi cum fundus & gloſa ibi ff. de verb. ſign.* & à contrario, *l. qui filiabus in princip. l. ſi ſervus plurium fin. cum utrobique notatis de legat.* 1. dixi latius *in tract. Perfectus Doctor, Qualitate* 19. *n.* 6. Ad tx.
42 autem *in l. fin. C. de fund. limitrophis*, etiam à *Bart.* allegato reſpondeo, *cum gloſâ ibi verbo, ceſſante*, procedere ſpecialiter ob militum favorem, ſicut alii ab eâdem gloſâ citati.

Ad inſtitutum redeundo, explosis relatis diſtinctionibus, & omiſsis (confuſionis fugiendæ gratiâ) aliis *de quibus Balb. in tract. de præſcripe. 1. p. ſextæ princip. n.* 17. *verſic.*
43 *& hanc diſtinctionem*; ut ſuſtineatur vera *Bartoli* reſponſio, & diſtinctio *de qua ſupra n.* 29. dico, nil ei officere *d. l. Senatuſconſulto de off. præſid. quam n.* 38. in contrarium ponderavimus, non enim continet impedimentum juris, ſed facti; pro quo adverto, dupliciter Suſtinetur benè.

textum illum poſſe intelligi, *juxta gloſam verbo dicatur*, vel quando magiſtratus agunt, vel quando conveniuntur, (loquimur de magiſtratibus temporalibus, & maioribus, *ſecundùm diſtinctionem gloſæ in l. pars literarum* 48. *de judic.*) priori caſu non prohibentur agere, parciſsimè tamen debent ſe litibus immiſcere, imò parciſsimè poſſunt, quamvis velint, ob multitudinem negotiorum, *ut conſideratur gloſa ibi verbo reſtituantur ad med.* Cum igitur prohibitionem juris non habeant, ſed à facto, id eſt negotiis, impediantur, contra eos currit præſcriptio juxta diſtinctionem Bartoli. Altero caſu, quando 44
ſcilicet conveniuntur, expendo reſponſionem *Iacobi de Butrii* relatam, licet negatam, à Bart. *in eadem l. Senatuſconculto n.* 3. quam ſatis probabilem vocat *Abb. in d. cap. ex tranſmiſſa n.* 13. *de præſcript.* & antea illam inſinuavit gloſa *d. verbo, reſtituantur*; videlicet textum illum non vetare magiſtratus conveniri, ſed dicit, parciſsimè hoc fiendum, ne (ut puto) propriis defenſionibus intenti á curis publicis amoveantur; parciſsimè ergo poſſunt conveniri, hoc eſt, ſolùm ad actionem

nem perpetuandam, *juxta l. ut perfectiùs C. de an. excep.* ut citatione collatâ in tempus finiti officii, tunc in lite procedatur, *secundùm tx. in l. si adulteriũ* 38. §. *fin. ff. ad l. Jul de adulter.* non autem ut sustineant litem officio durante, *juxta tx. sic intelligendum in l. 2. de in jus. voc. & in l. pars literarum* 48. *ibi, sustinento, de judic.* distinguit *glosa in cap. prohibentur verbo, magistratum, in fine 2. q. 1.* clariùs *Bart. in d. l. 2. n. 2. de in jus voc.* ubi idem confirmat *Jas. n. 1. verfic. istam regulam.* Igitur, creditores qui non omnino à jure prohibentur agere, si concessâ formâ non utantur, meritò actionem amittent, (secundùm Bartoli distinctionem,) de rigore legum; quamvis, propter difficultatem denuntiandæ actionis magistratui, *quam considerat tx. in l. si præsens* 18. *C. de Episc. aud.* per restitutionem redintegretur, ut statim declarabimus.

Constat ergo ex dictis tertiam ampliationem nostræ conclusioni assignatam in ignorante *n.* 19. rectè procedere, est enim ignorantia impedimentum facti, proinde præscriptionem non impedit, ut Bartoli distinctio

ctio n. 29. in posteriori membro docet. Quar- 46
Declaratur d. 4. ampliatio. ta verò ampliatio *proposita n. 25.* intelligitur, non de impedito à jure, huic enim præscriptio non obstabit, juxta prius membrum ejusdem distinctionis (*ad quod plura Tiraq. de retract. lign. §. 12. glosa 2.*), sed de impedito obstaculo facti, (de quo loquuntur textus unde eam deduximus) contra quem currit tempus, juxta prædictum posterius membrum distinctionis, intelligendo iterùm de 47
tempore continuo; secus de utili, nam hoc quoque subsistit per impedimentum facti *ex l. 1. ff. de diverſ. & tempor. præſcr. l. ob commiſſa 21. juncto Baldo ibi (quidquid Salicet. videatur reſtringere) C. ad l. Julium de adult.*

Subdeclaratur d. 4. Ampliatio, & 3. Quia tamen æquitas non patitur quod 48
impeditus quovis justo obstaculo jus amittat, usufructuario ignoranti, vel rationabili impedimento facti detento Prætor succurrit per restitutionem in integrũ, *d. l. Senatuſconſulto 16. de off. Præſid. l. item ei, 14. cum l. ſeq. l. ſi quis Titio 41. l. ſi quis ſtipulatus, l. ſed & ſi per Prætorem 26. in princ. & §. ſi fertur ff. ex quib. cauſ. maior. l. ab hoſtibus 18. C. poſtlim. reverſ. l. ab hoſtibus 6. C. quib. non obſtet longi temp.*

temp. præſcr. cap. primâ actione 16. q. 3. cap. ex tranſmiſſâ de præſcript. intelligendo hos textus, ut ſupra n. 39. & 40. quæ reſtitutio datur ex tit. *ſi quæ mihi juſta cauſa videbitur* juxta *l.* 49 *1. ff. ex quib. cauſ. maior.* & eam implorare neceſſe eſt, *l. ſi locus 14. verſic. quid ſi id tempus ff. quemadm. ſervit amit. melius tx. in l. 1. §. ſi quis propter de itin. actuque priv. advertit gloſa in l. & Atilicinus, verbo, reſtitui ff. de ſervit. ruſtic. Bald. & ejus additio in d. l. ab hoſtibus C. poſtlim. reverſis.* Vnde patet non 50 propriè loqui Stephanum Gratianum *diſceptat. tom. 5. cap. 929. n. 2.* ubi *interminis legis 2. ff. ſi quis caution.* ex Beccio ait quod ſtante impedimento facti, de quo ibi, habetur pro facto id quod erat faciendum, quaſi dicat quod ipſo jure pro facto habetur, cum potius verum ſit, reſtitutione opus eſſe, ut probat idem tx. (quem ipſe minùs bene pro ſe allegat) *in §. quod diximus*, ibi, *ſuccurri*, & in fin. ibi *æquiſſimum* (alludens ad æquitatem prætoriam quæ ſubvenit per reſtitutionem) & ubi, *ariet. ſubveniendum*, nec pro eo ſtat Baldi quem allegat, *conſ. 570. incipit, punctus, n. 4.* ubi non omnino ſimpliciter dicit quod

pro

pro facto habetur, ſed quod pro facto habetur *quodammodo*, quaſi dicat in effectu propter dictam reſtitutionem. Verumtamen ad- 51
vertendum quod firmavimus uſumfructuarium ignorantem reſtitui, intelligi de ignorantiâ facti, non autem de ignorantiâ juris, hæc enim non excuſat, *juxta diſtinctionem textus in l 4. & in l. regula 9 ff. de juris, & facti ignor.* niſi perſonas exceptas *in eddem l. regula*; de quo *Gratian. d. tom. 5. cap. 807. à n. 18.*

Quale autem impedimentum facti repu- 52
tetur legitimum ad reſtitutionem obtinendam? Vide per *Cardinal. Tuſc. lit. I. concl. 28. & ſeq. Surd. conſ. 8. n. 23. & 1 p. deciſ. 203. à n. 14. Gratian. tom. 4 diſcept. cap. 798. n. 7. & tom. 5. cap. 851. à n. 25. & deciſ. 15. à n. 6.* & quo modo probetur? per *Menoch. conſ. 518.* 53
à n. 2. Maſcard. de probat. concl. 884. Tuſc. d. lit. I. concl 30. & utrunque latiùs per *Balb. de præſcript. 1 p. ſextæ princip. à n. 18.* quæ omitto, ne à genuinâ deciſione textus noſtri diſcedam ampliùs; unũ libenter repeto *ex Gra-* 54
tiano tom. 2. cap 301. à n. 8.; quod impedimentum excuſat à pœnâ, vel morâ; non tamen

facit

facit quod impedito competat actio ex eo quod ex parte ſuâ non adimplevit ut debebat; quod exactiùs apparet per ab ipſo relatos.

55 Iam verò principalis concluſio, *ſupra n. 1.* per viam declararationis limitatur primò in uſufructu ſingulis annis, vel menſibus legato; hic enim per non uſum non amittitur, *l. ſi uſusfructus 28 ff. quib. mod. uſufr. amit.*

1. Limitatio concluſionis principalis.

56 Ratio eſt, quia, tot ſunt legata quot anni, *l. cum in annos 11 de an. leg. l. Senatus 35. §. fin.*

57 *de don. cauſ. mort.* & primo anno legatum eſt purum, pro ſequentibus conditionale, ſi legatarius vivat, *l. ſi in ſingulos 4 de an. leg. cum aliis adductis per gloſ. verbo, multa, in d. l. Senatus §. fin.* Ideò non ſufficit in eis una præſcriptio pro omnibus annis; quin imò nec conſiderari poteſt non uſus legatarii in

58 eo quod non dum ei competit, cum dies talis uſusfructus per ſingulos annos cedat, *l. 1. in princ. verſic. & puto ff. quando dies uſufr. leg.*

59 *ced.* Sed obligatio cujuſlibet anni per ſe præſcribi debet, computando tempora à principio unius cujuſque, *l. cum notiſſimi §. fin. C. de præſcript. 30.* quod verò tempus ad præſcri-

bendam eam actionem requiratur? dicemus *in 2 p. noſtri textus*. Diverſum eſt in uſufructu ſingulis annis conſtituto per contractum, cum enim unica ſit ſtipulatio, *d. l. Senatus §. fin. de don. cauſ. mort. l. ſi ſtichum 16. §. ſtipulatio de verbor.* (de quo tamen vide *gloſ. & Bart. utrobique*) ſequitur quod una ſufficit præſcriptio ad totum; confirmat *Iaſ. in d. §. ſtipulatio n. 1. verſic. ſecunda militas.* 60

Sed cur uſusfructus in ſingulos annos per ultimam voluntatem relictus continet plura legata, & per contractum conſtitutus, unam tantùm ſtipulationem? Reſponde breviter, quia contractus cum nitatur voluntate duorum eſt fortior quàm ultima voluntas, in quâ ſolùm defuncti judicium intervenit; *notat gloſ. in §. ex conditionali verbo, contigerit, Iaſ. de verbor. plenius Iaſ. ſupra n. 12. & 13.* 61

Argumentum. Neque adverſus hanc diſtinctionem facit *d. l. cum notiſſimi §. in his C. de præſcript.* 30. dum in hac materiâ æquiparat obligationes ex contractu, & ex ultimâ voluntate, propter quod multi exiſtimarunt unam ſufficere præſcriptionem etiam in legatis, *ut refert Anton. Gomeſ. 2 Var. cap. 11. n. 45.* Nam reſpondetur, 62

spondetur, *cum glosa ibi, verbo, cujuscunque annui, in fine*, solùm æquiparari, ut ex quo cessat solutio currat præscriptio, retentâ tamen differentiâ, ut in contractu sufficiat una ad omnes annos, in legatis minimè. *Sequitur Gom. supra, & communiter Doctores ab eo* Responsio.

63 *relati.* Addo quod dispositio clara, *d. l. si usufructus, ff. quib. mod. usufr. amittit.* non nisi clarissimè, (quod non apparet) censeri debet revocata, *ad l. si quando C. de inoff. testam.*

64 Hoc in puncto juris; sed quia nimis subtile (quod est pernicioſum in judiciis, *ut latè dixi in tract. Perfectus Doctor, Qualit. 23. n. 36. verſic. ſi glosa ad fin.*) placet mihi praxis Lusitana, *de quâ Valasc. consult. 49. n. 6. verſic. verum tamen*, quod sufficiat unica præscriptio ad liberandum ab his annuis præstationibus Declaratur ista limitatio.

65 sive sint ex testamento, sive ex contractu; nam si ad eas acquirendas una præscriptio satis est, *ut docent scribentes in l. cum de in rem verso de usur. & in cap. pervenit de censib.* a

66 fortiori sufficiet ad liberandum, cum sit favorabilius, *ex reg. l. Arrianus 47. de act. &*

67 *oblig.* Præterea, si propter exordium obligationis condemnatur debitor ad præstationes

in futurum, *ut eſt communis per l. 1. C. de fidei comiſſ.* cur contra ipſum exordium non operabitur una præſcriptio ne in futurum quid petatur? quod & in Galliâ obſervari teſtatur *Boërius deciſ. 336. in fin.* & eſt pro hac parte *d. l. cum notiſſimi §. in his C. de præſcript. 30.* cui non poteſt reſponderi niſi literam violando.

2. Limitatio. Secundò concluſio noſtri textus declarativè limitatur, ut non procedat quando uſusfructus legatus eſt quandiù uſufructuarius vivat; licet enim uſusfructuarius non utatur, nunquam incipiet præſcriptio, cum repetitus cenſeatur quoties fuerit amiſſus; *probatur ex l. ſi rem 62. §. fin. de evict. melior tx. in l. ſicut in annos 3. verſic. unde ff. quibus modis uſusfr. amit.* 68

3. Limitatio. Tertiò eodem modo limitatur ne locum habeat, ſi uſusfructus legatus ſit uſque ad tempus, ut puta uſque ad decennium; nam licet per non utendo amittatur pro uno, vel pluribus annis, tamen pro ſequentibus uſque ad dictum decennium cenſetur repetitus *d. l. 3. verſic. unde ff. quib. mod. uſusfr. amit.* atque ita ad totum perimendum requiritur 69

ni præſcriptio

præſcriptio pro cunctis annis computando tempora à quolibet anno, *juxta d. l. cum notiſſimi §. fin. C. de præſcript. triginta.*

70 Sanè diverſum puto ſi in ſpecie hujus tertiæ, ac ſecundæ præcedentis limitationis, eiſdem ſcilicet modis, uſusfructus inter vivos conſtituatur; ſicut enim *in primâ limitatione n. 60.* diximus, uſumfructum in ſingulos annos per contractum conſtitutum unicâ præſcriptione tolli, tanquam unicam ſtipulationem contineat, ita procedit in præſenti ex æquiparatione quam inter relatos caſus (hoc eſt, *in ſingulos annos, quandiù vivat, & uſque ad tempus*) facit *d. l. 3. ff. quib. mod. uſusfruct. amit. ibi, unde tractatum, & ibi, quare.* Quinimò addo ex eâdem æquiparatione dictam 2. & 3. limitationem procedere ſolùm in rigore diſputationis; at in practicâ contrarium obſervandum, videlicet, in propoſitis terminis unam præſcriptionem ſat eſſe, *ex notatis in prædictâ 1. limitatione ex n. 64.* Declaratio ad 2 & 3 limitationem.

71 Quartò eadem concluſio ſimiliter limitatur quando uſusfructus legatus eſt ita: *Titio uſumfructum lego, quotieſque amiſſus erit, eundem uſumfructum do*; hoc enim caſu, cum 4 Limitatio.

ſemper repetitus ſit, nunquam amittitur; *d. l. ſicut* 3. *in princip. ff. quib. mod. uſufr. amit.* niſi morte *l. repeti* 5. *in princip. ff. eodem tit.* intelligendo de morte rei, vel perſonæ, *ut notat ibi gloſa*; rei, quia impoſsibile eſſet uſumfructuarium utifrui re quæ non extat, *juxta princip. Inſt. de uſufr. in verſic. eſt autem*; perſonæ verò, non tam ex ratione gloſæ *in d.* 72
l. repeti, verbo, morte, quàm ex eo, quia de naturâ uſusfructus venit ut morte uſufructuarii finiatur, cum ſit jus merè perſonale, *§. finitur Inſt. de uſufr. cum concordantibus*; adeo 73
ut ſi in conſtituendo uſufructu ſpecialiter etiam hæredi uſufructuarii provideatur, *in terminis l. antiquitas* 14. *C. hoc tit. de uſufr.* diverſus ſit uſusfructus in hærede, & non idem, *l. ſtipulatio iſta* 38. *§. ſi quis ita, verſic. ſed ſi quis ff. de verbor. obligat.* In cujus limitationis ſpecie, (quidquid in præcedentibus dixerimus) non puto differre an uſusfructus conſtitutus fuerit per teſtamentum, vel contractum; nam, cum ſemper vigeat repetitionis ratio, nunquam poterit præſcriptione mori, quod eodem paſſu quo perit, virtute pacti renaſcitur.

Nunc

74 Nunc ſubintrat quæſtio, ad intelligentiam dictorum neceſſaria, quando, & quomodo quis dicatur uſufructu uti, vel non uti, ut cognoſcamus an uſusfructus finiatur? & reſolutivè dico, tunc uſufructuarium uti quando ſcienter utitur uſufructu, vel nomine ejus alius; ut puta conductor, donatarius, emptor, procurator, vel ſimilis; quo deducitur *ex l. arboribus* 12. §. *uſufructuarius, l. non utitur* 38. ff. *de uſufr. l. ſi mulier* 22. ff. *quib. mod. uſusfr. amit. l. ſervitus* 5. *cum l. ſeq. l. uſu retinetur* 20. ff. *quemadm. ſerv. amit. l.* 1. §. *ii cujus, &* §. *pen. l.* 3. §. *uti videmur de itin. actuque priv. & paſſim alibi.* 1 Quæſtio. Deciditur.

75 Dixi, *quando ſcienter utitur*: quia non ſufficit quod uſufructuarius utatur uſufructu (fortè ignoranter) ut dicamus verè uti, ſed requiritur ulteriùs quod ſciat eundem ſibi pertinere, *tx. eſt elegans in l. ii qui uſumfructum* 20. *in fine* ff. *quibus mod. uſufr. amit. ibi: non enim ex eo quod habet utitur, ſed ex eo quod putavit ſe habere: bonus tx in l. fin. quemadm. ſervit. amit. tx. ſubtilis in l. ſi opus* 21. §. *ſi juſſero,* ff. *quod vi aut clàm; l.* 1. §. *Ariſto de aquâ quot. & eſt. facit l.* 2. §. *Celſus* ff. *pro empt.*

l. 14.

l. 1. §. Iulianus, aliàs Vivianus, de itin. actuque priv.

Addidi, *vel nomine ejus alius*: quia non 76
satis est quod ususfructus possideatur ab alio per usufructuarium, id est datâ possessori occasione possidendi ab usufructuario, sed ampliùs exigitur quod nomine usufructuarii possideatur, probat optimè textus bene ponderatus *in l. Pomponius 29. ff. quib. mod. usufruct. amit.* ubi Iureconsultus ait quo si usufructuarius locaverit usumfructum proprietario, & proprietarius vendiderit fundum Seio non deducto usufructu, si Seius tempore legitimo usumfructum possideat, non videtur usufructuarius uti, & sic usumfructum amittit; nam, quamvis Seius emptor possideat usumfructum occasione ab usufructuario datâ, ex eo, scilicet, quia usufructuarius locavit usumfructum proprietario venditori, tamen cùm non possideat nomine usufructuarii, sed suo proprio ex titulo emptionis, proculdubio ususfructus finitur; & similes casus ibi proponit Iureconsultus in quibus apparet idem. Sanè ut per alium re- 77
tineatur ususfructus necessarium est quod

iste

iste alius utatur nomine usufructuarii, vel expressè, ut procurator, vel saltem interpretativè ut colonus, & similis *ut in l. usu 20. cum l. seq. ff. quemadm. serv. amit.* nam quamvis iste utatur suo nomine ratione juris Coloniæ, *ut per glosam ibi*, tamen respectum habet ad usufructuarium à quo scit jus suum emanare, quod, *nomine usufructuarii interpretativè* appellat glosa *in l. non utitur, verbo, non utatur, ff. de usufr. & in l. Pomponius 29, verbo, locaverit ff. quemadm. serv. amit.* qui
78 textus etiam hoc declarat. Hæc ampliantur etiam si Colonus, vel alius qui ab usufructuario causam habet, utatur aliquâ parte ususfructus ignoranter, hoc est, nesciens illam etiam partem ad suum concedentem pertinere, utatur eâ vel casu, vel furtu, vel modo alio, adhuc enim si pars illa re verâ ad usufructuarium pertinet, retinet eam per istum ignoranter utentem, ut mihi probat *l. 1. §. is cujus, versic. & hoc ita, ff. de it. act. que. priv.* magis enim in tuenda est persona concedentis, quàm utentis, *l. si opus 21. §. si jussero, ff. quod vi, aut clàm, d. l. 1. §. si tibi fundum ad fin. de it. act. que. priv.* in quo verificari potest

quod ait tx. *in l. pen. ff. quemadm. serv. amit.* 79
per malæ fidei possessorem servitutem reti-
neri; (quamvis ad eam acquirendam bona 80
fides requiratur, ut *Bart.* distinguit *per l. ult.*
sequentem.) Nec putes huic ampliationi ad- 81
versari *d. l. Pomponius 29. ff. quemadmodum*
serv. amit. & quæ per eam diximus *n. 76*;
ideò nanque ibi per utentem sine respectu
ad usufructuarium qui causam dedit utendi,
ususfructus non retinetur, quia utens non so-
lùm utebatur sine respectu ad usufructua-
rium, sed ulteriùs utebatur nomine proprio, 82
tanquam verus esset dominus ex emptionis
titulo; inter quos casus differt multum; nam
cùm utens utitur nomine proprio, quamvis
erret, prodest sibi, non vero domino; *d. l.*
1. §. si quis autem de it. act. qu. priv. quando
autem nullo nomine utitur, conservat jus
veri domini qui ei ignoranti causam dedit;
faciliùs enim conservat dominus usumfru- 82
ctum à nemine possessum quàm illum qui
possidetur ab alio, *l. arboribus 12. §. de illo ff.*
de usufr. tetigit glosa in l. non utitur 38. ff. eo-
dem tit. verbo non utatur.

In hoc verò per viam limitationis est no- 83
tandum,

tandum, posse aliquando usufructuarium non uti nec per se, nec per alium, & tamen usumfructum retinere; V. g. si Titius habeat usumfructum in servo fugitivo, qui, nondum ab alio possessus, aliquid stipuletur ex re Titii, non perdit Titius usumfructum; idemque est, quamvis servus nihil faciat; nam quâ ratione possessio retinetur à proprietario, quamvis in fugâ servus sit, pari ratione ususfructus conservatur ab usufructuario; quod exemplum, & similia habentur *in l. arboribus* 12. §. *de illo ff. hoc tit. de usufr.* ubi Iureconsultus addit, quod si servus fugitivus ab alio jam possideatur, usufructuarius videtur non uti à tempore quo servus incepit possideri ab alio; dummodo servus nil stipuletur usufructuario; nam si stipuletur dum non transit tempus legitimum ad perimendum usumfructum, ipse ususfructus retinetur per affectum volentis retinere, & per
84 factum à servo nomine usufructuarii. Adverte autem, glosam *in d. l. arboribus* §. *de illo, verbo, retinetur, & verbo, amitti* dicere, quod quando servus est in fugâ, nondum ab alio possessus, usufructuarius non retinet illius

usumfructum nisi usque ad decennium; quod (pace dixerim glosæ) non videtur verum; nam ille textus ait usufructuarium semper videri possidere dum alius servum non possidet, ergo semper usumfructum retinet. Neque est in contrarium textus ibi *in versic. idem tractat*, quem glosa pro se allegat; loquitur enim de casu quo servus ab alio possidetur; ut diximus. Similiter non favet glosæ textus ab eâ adductus *in l. & Artilicinus* 35. *de servit. rustic.* ideò nanque in eo amissa est servitus, quamvis ab alio non occupata, quia ejus dominus etiam desiit possidere; at *in d. §. de illo*, (ut Iureconsultus inquit) dominus servi non desiit possidere, dum alius servum non occupavit.

Alius casus (præter notatos *in d. l. arboribus §. de illo*) in quo usufructuarius non utitur per se, nec per alium, & tamen usufructus non finitur, est si usufructuarius commoditatē usus fructus vendat, & emptor usufructu per longum tempus non utatur, adhuc enim usus fructus non perit, *l. non utitur* 38. *vers. planè ff. de usufr.* rationem assignat Iureconsultus *in l. quia seq.* quia usufructua- 85

rius

rius venditor utendo pretio, videtur uti usu-
86 fructu; sic pretium succedit loco rei, *ut ibi notat glosa* citando multa jura ad hoc dicte-
87 rium. Neque obstat *l. Pomponius* 29. *ff. quib. mod. usufr. amit.* ubi usufructuarius usumfructum amittit si nec per se, nec per alium utatur eo, quamvis pretium habeat; respondet etenim glosa *in d. l. non utitur* dictam legem *Pomponius* procedere quando alius utitur, & dictam legem *non utitur*, quando nemo utitur; quo casu faciliùs retinetur, *juxta d. l. arboribus* 9. *de illo de usufr.* Nec mirum si, nemine utente, operatur usus fictus, qui contra verum usum nihil valebit.

88 Casus alius habetur *in l. is qui usumfructum* 20, *versic. & siquidem ff. quib. mod. usufr. amit.* quando is qui habet usumfructum, & scit eum ad se pertinere, sponte non precepit fructus, sed voluit solùm uti; ex eo enim quod potuit, sed noluit fructus colligere, & scienter tantùm est usus, etiam frui intelligitur, & non amittit fructum. Similisque est
89 casus *in l.* 2. *ff. quemadm serv. amit.* intellectâ ut supra *in* 1 *Ampliatione, n.* 12, & 13.

90 Ex quibus deduco intellectum ad textum

in §. finitur Inst. de usufr. ibi, *non utendo per modum*: circa quæ verba scribentes cum glosâ laborant maximè; ac ultimò *Hubertus Gyphanius in Comment. ad Inst. sub illo tx.* assignat interpretationem, quæ, fortè, potest sustineri; at, ni fallor, veriùs intelligemus Iustinianum significasse non sufficere quemlibet non usum ad usumfructum perimendum (potest nanque ususfructuarius non uti, & tamen eum conservare, ut diximus, *n.* 83. 85. & 88.) sed necessarium esse non usum *per modum*, hoc est per modum à jure declaratum; videlicet si usufructuarius omnino non utatur per se, nec per alium; prout exposuimus *ex n.* 74.

2 Quæstio. Secundam quæstionem movet glosa *in nostrotx*; *verbo, excludere*, utrum, secundùm Iustiniani præsentem decisionem, requiratur idem tempus ad præscribendum per non utendo usumfructum constitutum super re mobili, vel semovente, quod requiritur ad sumfructum in re immobili; vel sit differentia inter utrunque? & resolvit procedere æqualiter in uno, & altero, ita ut in omni usufructu perimendo exigatur longum tempus; 91

Opinio glosæ.

92 tempus; (hoc est decennium inter præsentes, vicennium inter absentes *juxta l. un. C. de usucap. transf. princip. Inst. de usucap.*) assignat rationem, quia ususfructus, quamvis super re mobili, semper rei immobili comparatur, ut intendit probare *per l. ult. in fin. C. præscript. longi temp.* facit deinde pro eâdem parte, *l. sicut, pen. C. de servit. & aquâ*; ubi Iustinianus testificatur se assignasse decennium, & vicennium ad præscriptionem ususfructus qui olim peribat per biennium in soli rebus, & per annum in mobilibus; atque ita jam non videtur dubitandum eundem terminum in utroque militare. 1 Fundamentum. 2 Fundamentum.

93 Sed, pace glossæ, existimo, differentiam esse inter usumfructum super re mobili, & immobili, ita ut ad illius præscriptionem sufficiat triennium, at, ut iste pereat, longum tempus sit necessarium: Probatur primò quia veteres in anno, vel biennio, de quo meminit noster textus, constituebant discrimen inter utrunque usumfuctum; ut explicat *l. pen. C. de servit. & aquâ*; & *diximus supra n. 7.* verosimile est ergo eodem modo hîc procedere Iustinianum, qui aliud non declarat. Contraria verior.

rat. Secundó apparet ex vi decisionis nostri 94
textus, nam (quidquid *glosa, Bart. & alii*) non disponit longum tempus esse necessarium ad præscriptionem ususfructus, sed illud tempus sufficere quod posset excludere dominum proprietatis præsentem, vel absentem, si de illâ ageretur; sed in excludendo domino proprietatis consideratur differentia mobilium & immobilium, ut in mobilibus satis sit triennium, in immobilibus autem exigatur decennium inter præsentes, vicennium inter absentes, *l. un. C. de usucap. transf. princ. Inst. de usucap.* ergo idē dicendū in usufructu, cujus præscriptio, dominii præscriptioni est æquiparata. Tertió confirma- 95
tur ratione quæ dictat quod si res mobilis usucapitur per triennium, non requiratur plus temporis ad perimendum ipsius rei usumfructum quod est jus minùs validum; *arguimento l. 3. ff. si usufr. pet.* Quartó facit 96
l. pen. C. de servit. & aquâ in verfic. quia tantummodo, ubi Iustin. ait, ideo servitutes per non utendo olim amitti per biennium & hodie per decennium interpresentes, & vicennium inter absentes, quia tantummodo

an

anexæ sunt rebus soli (nec in re mobili cadit servitus ut ibi notat *Bald.*) quasi, à contrario, diceret, quod si rebus mobilibus anexæ forent, olim uno anno, hodie tribus finirentur sequendo naturam rerum quibus erant impositæ; ergo per argumentum ab eodem textu factum ab aliis servitutibus ad servitutẽ ususfructus, idem in hac est fatendũ.

97 Neque evincunt contrarium relata fundamenta; nam ad primum, negamus *l. ult. C. de præscript. longi temp.* æquiparare usumfructum rei mobilis, rebus immobilibus; nil enim textus ille facit nisi quod postquam definivit modum præscribendi immobilia, addit idem observandum in præscribendis rebus incorporalibus quæ jure consistunt, veluti ususfructus, & cæteræ servitutes; quod equidem non de omni usufructu intelligit, sed tantùm de eo qui datur super eisdem rebus immobilibus, de quibus erat sermo, hic enim meritò conditionem tenetur sequi

98 proprietatis suæ. Ad secundum similiter respondetur Iustinianum *in d. l. pen. C. de serv. & aquâ*, solummodo locutum de præscribendo usufructu per longum tempus, quia

Resp. ad 1. fundamentum opinionis glosæ.

Resp. ad 2.

cum communiter ususfructus in immobilibus constituatur, egit de magis ordinario; nec, nisi obiter pro exemplo, ibi de hoc tractavit, se tamen referens ad textum nostrum, cui, tanquam in materiâ capitali, specialiùs est standum; ille autem nostram resolutionem probat, ut *n.* 94. quinimò ipsa *l. pen.* est pro eâ, ut *n.* 96. demonstravimus.

3 Quæstio. Tertia est quæstio utrum in casibus quibus ususfructus finitur, tollatur ipso jure, vel ope exceptionis? & glosa *hic, verbo, alter eantibus, in fine*, distinguit magistraliter; si amittitur per non utendo (qui est noster casus) necesse est opponere exceptionem, quia tempus non est modus tollendæ obligationis ipso jure, sed per exceptionem, ut communiter probatur *ex l. obligationum ferè* 44. *§. placet ff. de act. & oblig.* idem in actione; *glos. verbo actionem, in l.* 1. *quib. mod. usufr. amit.* at si ex aliâ causâ pereat, puta, morte usufructuarii, rei interitu, vel capitis diminutione, ipso jure expirat; sic ergo veniet intelligendus tx. *in* §. *finitur, Inst. de usufr.* ibi *cum autem finitus fuerit*, &c. usque ad finem. 99 Resolvitur. 100

4 Quæstio. Quarta sit quæstio, utrum sufficiat legitimum 101

mum tempus non utendi, vel debeat etiam bona fides præscribentis concurre, ut usus-fructus hoc modo finiatur? Resolutivè dic, Resolutio.
bonam fidem requeri, nam cum is modus amittendi sit vera prescriptio, ut in nostro
102 tx. ibi, *nisi talis exceptio*, &c. subjicitur præscriptionum regulis de quibus *in l. un. C. de præscript. transl. princip. Inst. de usucap. cum vulgaribus*, requirentibus bonam fidem; in specie probat *L. si precario 17. §. caterum junctâ glosâ ibi, verbo, usucapitur, ff. commun. prædiorum, l. fin. & ibi Bart. ff. quemadm. servit. amit. melior tx. in l. fin. verfic. fit igitur C. præscript. longi temp. ibi, bono initio, & in fine, ibi, veluti usufructus; & à fortiori est tx. in l. 2. C. de longi temp præscr. quæ pro libert. ex Castillo, & aliis advertit Gratian. discept. tom. 5. cap. 807. n. 15.*

103 Hoc procedit planè in usufructu constituto, sed in actione de constituendo (de quâ loquemur 2 p.) dubium est, nam *Bart. ubi proximè in fine* docet, quod ad præscribendum contra eam per non utendo non requiritur bona fides debitoris præscribentis, cum sine facto ejus consumatur prescriptio ex solâ

negligentiâ creditoris non utentis; allegat *l. sequitur. §. si via an de usucap.* ac ex eâdem ratione affirmat, hoc, quod de jure civili certum est, de Canonico etiam sustinendum. Attamen contra *Bart.* adhuc in actione, de jure Canonico, bona fides exigitur juxta generalitatem txs. *in cap. vigilanti 5. & fortiùs in cap. quoniam 20. de præscript.* quia non tantùm attenditur factum præscribentis (ut putabat *Bart.*) quàm conscientia ipsius; cum ergo ista debitorem eum arguat, producit peccatum quod semper, & in omni causâ præscriptioni resistit, ut declarat *tx. in d. cap. quoniam*; ibi, *omne*, quod verbum omnes casus comprehendit; prout ibi advertit *Abb. maximè ex n.* 13. firmans hanc sententiam; quæ cum sit dispositio juris Canonici, in materiâ quâ civile peccatum fovet, adversus istud in utroque foro est sequenda, secundùm regulas de quibus idem *Abbas. Tiraqual. de piâ causâ privil. 163. n. 1. Cevallos commun. opin. in præf. ex n. 53.* dixi *in tract. meo Perfectus Doctor, Qualit. 23. n. 36. versic. ſi gloſa, poſt princip.* 104

3. Quæstio. Quinta denique est quæstio utrum simul 105

cum

cum tempore, ac bonâ fide requiratur titulus? Reſpondetur, quod non; *ex l. ſi quis diuturno* 10, *ff. ſi ſervit. vind. l.* 1. *§. ſi quis autem & ibi gloſ. verbo, ſibi, de itin. act. que priv. l.* 2. *& ibi Bart. C. de ſervit. & aquâ; idem Bart. in d. l.* 1. *§. fin. ad finem de itin. act. quæ priv. & in l. fin. in princip. ff. quemadm.* 106 *ſerv. amit.* & caſu quo in ſervitutibus præſcribendis requiratur titulus, an ille præſumatur per allegationem ejus cum longâ poſſeſſione? *vide Bart. in l.* 1. *§. denique n.* 6, *&* 7. *ff. de aquâ pluv. arc.* quæ omnia latiùs non tracto, tam quòd à genuinâ deciſione textus noſtri diſcedunt, quàm quia cum, præter dicta ab aliis, nil occurrat novi, nolo quæ jam per- 107 orata ſunt iterum reſuscitare, contra *l. fin. §. in refutatoriis C. de appellat.* ſolùm enim debemus ſcribere quæ aliquid novi continent, vel addere quod derelictum eſt, *juxta eundem textum*; ac recentes & floridos ſapientiæ fructus producere, ut plenè dixi *in citato tract. Perfectus Doctor, Qualit.* 23. *n.* 10. *ex Matth. Gribald. de rat. ſtud. lib.* 1 *cap* 9. *atque aliis.* Reſolvitur.

PARS Secunda.

Præmissum

IMprimis adverto, *glosam Bartolum*, ac reliquos Doctores intelligere textum nostrum tanquam permixtè agat de usufructu, & de actione personali competenti tam pro primâ illius traditione, quàm pro traditi patientiâ; sic Iustiniani conclusionem in duas partes dividunt; quasi una loquatur de præscribendo usufructu, dictâque actione per non utendo; altera de ipsius interitu per capitis diminutionem. Verùm, ni fallor, Imperator maximè separat usumfructum ab actione; constat ibi, *sed de usufructu quidem hoc indubitatum fuerat: de personali autem actione, &c.* quæ dictio *autem* implicat diversitatem casuum, & juris, ut notat *glosa per tx. ibi in l. hoc amplius 9. §. de his autem ff. de damn. infecto.* Item constat in versic. sed nos, ibi, *non solùm actionem, sed nec ipsum usumfructum.* Vnde puto, quod licet actio personalis de usufructu competens, seu nascens, si generaliter 1

raliter sumatur, significet tam actionem ad tradendum non traditum, quàm actionem pro traditi patientiâ, secundùm *Bart. hic n.* 1. *ad fin.* tamen in præsenti, facilioris doctrinæ gratiâ, actio personalis de usufructu vocatur ea sola per quam petitur non dum traditus, ut probo ex tx. in fine principii ibi, *eundem usumfructum non petierit*; quando verò tractatur de jam tradito, dicit tx; finiri usumfructum; quod ulteriùs patet, ex eo quod actio pro patientiâ est idem cum usufructu; idem enim est dicere, finita est actio pro patientiâ, ac, finitus est ususfructus, cum, hoc sublato, tollatur actio, frustra nanque ususfructus tolleretur, si actio remaneret; igitur dum Iustinianea constitutio utitur distinctè verbo, *usufructus*, & verbo, *actionis*, satis indicat quod nomine *usufructus* intelligit traditum, & nomine, *actionis*, non traditum. Ideò præsentem lecturam in tres partes divisi; in primâ dixi jam quomodo per non utendo pereat traditus ususfructus; in hac secundâ de actione pro illo consequendo videbimus; in tertiâ de ejus interitu per capitis diminutionem tractabimus.

Conclusio

Concluſio. Concluſio hujus partis eſt: Actio perſo- 2
nalis ad obtinendum uſumfructum compe-
tens præſcribitur eâ non utendo per tempus
quod eſſet ſufficiens ad præſcribendam pro-
prietatem rei ſuper quâ eſt uſusfructus.

Ratio du-bitandi. Ratio dubitandi erat, quod quamvis ne- 3
mo poterat negare actionem iſtam per non
utendo tolli, juxta dictâ *in* 1 *p. n.* 3. & ſuppo-
nit Iureconſultus *in l. ſi partem* 19 *ff. quemadm. ſervit. amit.* tamen altercabatur maximè
quanto tempore non uti eſſet neceſſarium?
ut textus noſter refert *in fine principii*; aliqui
dicebant, ſufficere annum ſi agebatur de
uſufructu ſuper re mobili, biennium autem
ſi de eo ſuper re immobili tractabatur; pro
quo allegabant forſitan, quod ſi ipſe uſus-
fructus jam conſtitutus illo finiebatur ſpatio,
ut notavimus 1 *p. n.* 7. eodem termino, à for-
tiori, debebat perire actio quæ eſt jus minus
validum. Alii (puta) exiſtimabant, actio-
nem hanc in perpetuum, id eſt ad triginta
annos durare; ut eſt ordinarium in actioni-
bus perſonalibus; prout videbimus *hac* 2 *p.*
n. 11.

Ratio decidendi. Iuſtinianus verò ob conſiderationes de 4
quibus

quibus 1 p. n. 8. non putavit tempus, secundùm priorem sententiam, arctandum; similiterque ex rationibus proponendis hac 2 p. n. 13. judicavit inconveniens illud extendere ad triginta annos; quare, mediam sumendo viam, constituit, prædictam actionem cadere non utendo per id tempus quod est sufficiens ad præscribendum dominium rei super quâ ususfructus erat; sic æquiparando terminum amittendi usumfructum constitutum, de quo in 1. n. 1. & 7. & terminum amittendi actionem pro non dum tradito.

5 Sunt tamen duæ difficultates, quas glosa hîc excitavit multùm fortiter, ut loquuntur Bart. & Bald. Prior textus iste videtur proponere quæstionem quæ nunquam poterit verificari; nam vel ususfructus constitutus est per ultimam voluntatem, vel per contractum; si per ultimam voluntatem, ab adità hæreditate rectâ viâ transit ususfructus formalis in usufructuarium, l. 1. §. dies ff. quando dies usufr. leg. ced. l. si partem 19. §. 1. ff. quemadm. serv. amit. diximus in 1. p. ampliatione 3. ex n. 19. Vnde cũ jam habeat quod posset petere, nulla restat actio, ac ineptum est agere

1. Argumentum.

6

de eâ. Si verò per contractum constitutus est ususfructus, aut est traditus, aut non; si traditus, jam usufructuarius qui eum habet caret actione, & proprietarius, qui solvit, deobligatus est, *princip. Inst. quib mod. toll. oblig. facit §. fin. Inst. de perpet. & temp. act.* frustraque de actione disputatur; si ususfructus non est traditus, perpetuam Iustinianus tractat an tollatur? privatio nanque supponit habitum, ut notant dd. *in l. decem de verbor. oblig.* & ad nostrum propositum sunt textus expressi *in l. Titio usufructus 96. de cond. & dem. & l. 1. §. sed ita demum, & §. fin. quib. mod. usufr. amit.* juvat *l. Sempronius 26. ff. de usufr. leg. l. sparsam 19. quemadm. serv. amit.* atque ita videmus quod, qualitercunque consideremus, nunquam justè queri potest de præscribendo usufructu, & simul actione personali? 7 8

Huic difficultati respondent *glosa*, *Bart.* *Bald. & alii*, veras quidem doctrinas proponendo, sed clariùs, ut opinor, res expedietur, memorando, prædictis occasionem dedisse communem interpretationem quæ confusè intelligit hunc textum loqui simul 9

Responsio.

de

de usufructu, atque actione pro illo personali, ut n. 1. declaravimus; profectò sat est ad omnium elucidationem præ oculis habere distinctionem propositam n. 1. juxta quam præsens decisio dum de usufructu loquitur, de tradito agit; dum verò de actione tractat, verificatur quando petendus venit ille qui ex contractu, vel ex testamento debetur, quamvis enim ultimo hoc casu, ab aditâ hæreditate, censurâ juris in usumfructuarium transeat, ut argumentum ponderat, tamen, si hæres illum in effectu retineat, parùm jurisfictio proderit usufructuario, nisi ut illi pariat actionem ad eum realiter consequendum, quæ etiam personalis est, *l. 1. C. commun. de leg.* & de hac textus noster disponit quomodo, & quo tempore per non usum amittatur, de quo si plura adjiciamus verba, magis implicabimus, quàm explicabimus.

11 Alia, & magis utilis, difficultas quam glosa proponit est: nulla actio personalis durat minùs, quàm in perpetuum, hoc est usque ad triginta annos, *l. 2. C. de const. pecun. melior ex. in l. neque mutui C. quib. non objicit. long.* 2 Argumentum.

temp. præſcr. ergo non benè Lex noſtra ait actionem perſonalem de uſufructu minori tempore finiendam, eo ſcilicet ſpatio, quo dominium rei ſuper quâ uſusfructus eſt, poteſt præſcribi.

Reſpondetur ad 2 argum.

Hac de causâ arduum redditur ſcire quanto tempore tollatur actio perſonalis pro uſufructu? ut cernere licet apud *Bald. in præſenti n. 6.* & *Bartolus* videtur ſibi contrarius *in noſtro tx. & in l. ſi partem ff. quemadm. ſerv. amit. de quâ contrarietate additio ad eundem utrobique.* At veritas ſuadet ſpeciale in actione pro uſufructu ut breviùs quam aliæ finiatur, ex ſpeciali deciſione noſtri textus ibi, *de perſonali autem actione*, &c. ubi quæſtio proponitur; & ibi, *ſancimus, non ſolùm actionem, &c.* ubi deciditur. Fundamentum ſpecialitatis, (quàm *gloſa*, & *Bart.* mirabilem appellant) eſt quod uſusfructus de facili reddit ad ſuam proprietatem, *arg. l. ſi unus* 28. §. *pactus ne peteret, verſic. quod etiam in ſpecie dotis, ff. de pact. juvat tx. in princ. Inſt. de uſufruct. in verſic. ne tamen.* Conducit quod ſi uſusfructus jam conſtitutus, ubi jus uſufructuarii eſt potentius, (plus enim eſt jus in re, quàm

12

13

quàm jus ad rem) præscribitur eodem tempore quo proprietas, *ut in 1 p. hujus Lectura, ex n.* 1. multò magis actio, quæ est jus simplex eodem spatio finiri debet; quarum rationum vis coëgit aliquos veterum ad dicendum, hanc actionem, per annum, vel biennium amitti, ut Lex nostra in principio refert, cum tamen ad tollendas reliquas personales actiones apud eosdem per viam regulæ triginta anni essent necessarii, *ut supra, n.* 11.

14 Sed adhuc *cum Bald. hîc n.* 6. ad probandum quod actio ista per triginta annos durat, fit instantia, ex tx. præsenti, qui *in versic. nisi talis*, ait idem juris esse in usufructu quod in dominio; sed in promissione dominii durat personalis actio ad 30 annos, ex juribus allegatis *n.* 11; ergo idem in actione personali de promissione usus fructus. Instantia.

15 *Baldus* inquit: *Iste passus est subtilis*, sed nil respondet; ego, considerando textus literam, dico, non posse argumentum deduci à comparatione per Iustinianum factâ ut inferatur quod sicut actio de promissione dominii est perpetua, ita de promissione usus fructus debeat reputari; non enim Imperator Responsio.

hoc voluit significare, solùm ait quod usufructuario, ad amittendum usumfructum jam traditum, vel actionem pro non dum tradito, nocet temporis præscriptio quæ solet nocere ei qui non tantùm usumfructum, sed etiam rei dominium habet, in quo non æquiparavit usumfructum & dominium, nec consequenter actionem de usufructu, & dominio (ut instantia *Baldi* cupit.) sed ostendit, exceptionem quæ potest nocere proprietario, facilius nocere usufructuario, qui debiliori jure potitur, ut notavimus 1 *p.* n. 9.

3 Argum. Non minorem invenio difficultatem, contra principalem conclusionem, *in l. si partem* 19. *ff. quemadm. serv. amit.* unde *Bart.* benè deducit quod actio personalis pro servitute non tollitur tempore quo amittitur servitus constituta; immeritò igitur nostra constitutio eundem assignat terminum ad præscriptionem actionis pro servitute ususfructus constituendi, & ususfructus constituti. 16

Responsio. Facilis videtur responsio dicendo, illum textum esse de antiquiori jure, nostrum verò aliud constituere de novo; sed qui eorum quæ diximus meminerit, clariùs argumentum 17

tum solvet, advertendo, olim fuisse differentiam inter præscriptionem ususfructus constituti, & præscriptionem actionis pro eo constituendo; quod ususfructus constitutus finiebatur, non utendo, in re mobili, per annum, & in immobili, per biennium, ut notavimus supra 1 p. n. 70 de actione autem, maxima erat altercatio, ut ponderavimus *in hac p. n.* 3: suppone igitur, Interconsultum Autorem textus *in d. l. si partem* in eâ fuisse sententiâ quod talis actio ut præscriberetur requireret non usum per annos triginta, cum tamen ad amittendam servitutem jam constitutam, annus, vel biennium esset satis; ac consequenter inquit, quod qui habet actionem ad servitutem constituendam, etiam si eam non constituat intra tempus à jure limitatum pro amittendâ servitute constituâ, tamen actionem non amittet, quia tempus proponendæ actionis latiùs patet; seu, ut melius dicam, latius tunc patebat, post nostram verò constitutionem jam pari passu ambulant.

18 Proposita conclusio sic propugnata de actione eadem recipit ampliationes quas

in

in 1 p. hujus Lecturæ conclusioni de usufructu constituto assignavimus; nam & noster textus, & vis rationis utrunque æquiparat. Igitur

1 Ampliatio conclusionis, 1°. ampliatur ut non solùm procedat casu quo habens actionem ad totum usumfructum fundi, eâ in totum non utatur; sed etiam si utatur eâ pro parte, & pro parte non; amittet enim eam pro parte quâ non est usus;

2 Ampliatio. ut diximus de usufructu *d. 1. p. ex n.* 10. 2°. ampliatur ut non tantùm habeat locum in actione ad usumfructum pro diviso, sed & in actione ad usumfructum pro indiviso; quemadmodum declaravimus *ibi n.* 18. 19

3 Ampliatio. 3°. ampliatur in eo qui ignorat actionem ususfructus ad se ex legato, vel contractu pertinere; ex adductis dicto loco *à n.* 19. 20

4 Ampliatio. 4°. ampliatur in eo qui propter impedimentum actionem non proposuit; prout explicatum est ibidem *ex n.* 25. *usque ad n.* 54. 21

1 Limitatio. Eodem modo d. conclusio limitatur 1° in actione ad usumfructum singulis annis, vel mensibus legato; juxta notata in *prædictâ 1 p. ex n.* 55. *usque ad* 67. 22

2 Limitatio. 2°. limitatur ut non procedat quando ususfructus legatus est, quandiù usufructuarius vivat; ut *ibi n.* 68. & 23

vide

24 *vide n.* 70. 3°. Limitatur, ſi uſusfructus legatus ſit uſque ad tempus; expoſuimus *ibidem* 3 Limitatio.

25 *n.* 69. *& ſequenti.* 4°. Limitatur, ſi uſusfructus ita legetur: *Titio uſumfructum lego, quotieſque amiſſus erit, eundem uſumfructum do.* Probavimus *ex n* 71. 4 Limitatio.

26 Similiter procedunt in hac actione quæſtiones quæ circa uſumfructum traditum ventilavimus. 1ª. Scilicet, quomodo, & quando quis videatur eâ uti? cui applicabis 1 Quæſtio.

27 dicta *in* 1 *p. ex n.* 74. 2ª. Vtrum idem tempus requiratur ad præſcribendam actionem de uſufructu ſuper re mobili, vel ſemovente, quod exigitur ad præſcriptionem actionis de uſufructu ſuper re immobili? quam re- 2 Quæſtio.

28 ſolve *ut in d.* 1 *p. ex n.* 91. 3ª. An actio iſta amittatur ipſo jure, vel ope exceptionis? vi- 3 Quæſtio.

29 de *ibi n.* 99. 4ª. Numquid ultra non-uſum, requiratur bona fides? habes *ibidem n.* 101. 4 Quæſtio.

30 *& maximè n.* 103. 5ª. Denique, ſi etiam exigitur titulus? dic prout *n.* 105. 5 Quæſtio.

I PARS

PARS Tertia.

Concluſio. IN verſiculo, *ſed neque* conſtituit textus noſter, quod uſusfructus non perit capitis diminutione minimâ, ſed eâ ſolâ *quæ libertatem, vel civitatem poſſit adimere*, hoc eſt, maximâ, vel mediâ diminutione capitis. 1

Comprobatur. De hâc conſtitutione meminit ipſe Iuſtinianus *in §. finitur Inſt. de uſufr. & in princ. Inſt. de acquiſ. per adrogat.* 2

Ratio dubitandi. Cauſam ei præſtitit jus antiquum, ſecundùm quod quælibet capitis diminutio uſumfructum perimebat, ut *in principio, & in hoc verſic.* noſter tx. ſatis declarat, & probat generalitas textus *in l. 1. ff. quib. mod. uſufr. amit.* cujus rei, forſitan, erat ratio, quia, cùm de naturâ uſusfructus ſit, facilè redire ad ſuam proprietatem, ut notavimus *p. n. 13.* parvam occaſionem, etiam de minimâ mutatione ſtatus, ſumebant veteres ut reſtituerent quaſi naturaliter debitum uſumfructum domino proprietatis. 3

Quæ

4 Quæ tamen diſpoſitio diſplicuit Iuſtiniano; ſequebatur enim quod filiusfamilias habens uſumfructum, (fortè ex caſtrenſi peculio, ubi patri nec uſusfructus acquiritur) per emancipationem (quæ eſt minima capitis diminutio, §. *minima Inſt. de cap. diminut.*) illum amittebat; quod erat ſatis durum, ut confirmo per textum *in §. hoc quoque Inſt. per quas perſon. nob. acq. in verſic. & inhumanum*, ubi idem Imperator inquit, inhumanum eſſe, quod filius rebus ſuis per emancipationem defraudetur, & quod honoris ei ex emancipatione additum eſt, hoc per bonorum diminutionem decreſcat. Solùm igitur per maximam, vel mediam capitis diminutionem finiri uſumfructum finit Iuſti-
6 anus; & his meritò; nanque uſusfructus eſt modus juris civilis, ut notatur *in princip. Inſt. de uſufr. ibi, eſt jus; & per tx. in §. un.*
7 *Inſt. de reb. corporal.* ſed per maximam, vel mediam capitis diminutionem amittuntur omnia quæ ſunt civitatis, hoc eſt juris civilis, §. 1. & 2. *Inſt. de cap. dimin.* §. *pœnæ ſervus*, §. *cum autem Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. fin. de cap. dimin. l. aut damnum* 8. §.

Ratio decidendi.

inter eos, l. quidam 17. l. capitalium 29. l. qui ultimo 30. l. in metallum 36. de pœn. l. 1. §. ij quibus de legat. 3. auth. de nup. ff. deportatio collat. 4. ergo ususfructus amitti debet.

Conclusio ampliatur. Conclusio ampliatur ut procedat tam in 8
usufructu procedente ex ultimâ voluntate, quàm quocunque modo ex contractu, *l. 1. ff. quib. mod. usufr. amit.*

1 Limitatio. Limitatur verò si ususfructus ita sit legatus, *quoties capite minutus erit, ei lego.* Vel sic, 9
quoties amissus erit; tunc si capitis minutione amittatur, repetitus videbitur, *l. sicut 3. ff quib. mod. usufr. amit.* quod etiam intelligo si eodem modo constituatur inter vivos; ut dixi *in 1 p. n 73. in fin.*

2 Limit. Limitatur 2°. si hoc modo constitutus sit: 10
quandiù usufructuarius vivat; nam repetitus quoque censetur quoties fuerit amissus; prout *in d. 1 p. n. 68.*

3 Limit. Limitatur 3°. si sit constitutus *usque ad* 11
tempus v.g. *usque ad decennium*; ex eademrepetitione subintellectâ, de quâ *eâdem 1 p n. 69.*

1 Quæstio. Quæstio est utrum, quemadmodum usus- 12
fructus, sic actio de illo per dictas capitis diminutiones extingatur? in quo, actionem

Resolutio.

per

per tria tempora distingo; primum; quando non dum cedit, nec venit dies actionis, v. g. si non dum hæreditas est adita, aut conditio non est adimpleta; juxta *l. cedere diem de verb. sign.* tunc certum est, non extingui; (verè enim nulla est actio, sed tantùm spes illius) *l. 1. ff. quib. mod. usufr. amitt.* ubi Iureconsultus infert ad quæstionem; ad illud verò quod *in* §. 1. ait de usufructu relicto in singulos annos, menses, vel dies quod per capitis diminutionem non pereat, nisi qui jam processit, vide quæ diximus *in 1 p. ex n. 55. usque ad 67.* ubi invenies, quod, contra juris rigorem, alia est praxis, & sanè ea quam ibi notavimus *n. 64.* ad casum etiam capitis diminutionis videtur applicanda. Secundum est tempus quando actio jam competit, sed non dum deducta est in judicium ad usumfructum constituendum; tunc dico perire tam ex generalitate *d. l. 1. in princ. ff. quib. mod. usufr. amit.* quàm ex æquiparatione talis actionis ad usumfructum traditum à nostro tx factâ; non obstantibus ver-
13 bis, *d. l. 1. §. 1.* ibi, *qui jam constitutus est*, quæ videntur probare eum solum usumfructum

per capitis diminutionem perire qui jam constitutus est; non autem cum qui debet constitui per actionem; intelligo enim ibi *constitutus*, id est, qui jam debetur; quæ expositio non videbitur contra literam, nec contra mentem Iurisconsulti, illi qui ex antecedentibus, & subsequentibus considerabit textum, qui semper loquitur in hoc sensu. Tertium est tempus postquam ususfructus traditus est; quo non est dubium actionem pro patientiâ capitis minutione extingui, cum in effectu sit idem ac ususfructus.

Alia quæstio. Altera est quæstio, an per capitis diminu- 14
tionem hæc extinctio fiat ipso jure, vel ex-
Resolvitur. ceptionis ope? jam dixi quod ipso jure *in* 1 *p. n.* 99.

Finis. Ad calcem nota quod hæc Lex agit, quo- 15
modo præscribatur contra usumfructum, id est, quomodo ille amittatur, ut hic advertit Bald. *n.* 8. qui quærit à contrario, quomodo præscribatur pro usufructu, hoc est, quomodo ille acquiratur? & contra Iac. de Raven. resolvit sufficere longum tempus cum titulo, & bonâ fide; *per l. fin. C. de præscript. longi temp. in fin.* quam intelligo de usufructu

super

ſuper re immobili; nam in re mobili triennium ſatis erit, juxta notata *in* 1 *p. ex n* 99. de hoc verò, quia extra textum noſtrum, non curamus, imò & aliqua ad ipſum pertinentia remittimus ad Doctores alios, maximè ad *Ioannem de Caſtillo*, qui noviter materiam per integrum volumen *de uſufructu* optimè tractavit; nam præſentem lecturam finire jubet ratio allegata 1 *p.* *n.* 107.

Solennis

Solennis Repetitio

ANTONII De Souſa de Macedo,

Ad
Legem Centurio 15. ff. de vulgari, & pupillari ſubſtitutione.

Prooemium.

OMnipotentis Dei Numine implorato, Sanctiſsimæ Virginis omine petito, ac beati Antonii nomine invocato; obtentâ deinde illuſtriſsimi Rectoris facultate, doctiſsimi Præſidis favore, ſapientiſ- Propoſitio.

ſimorum Doctorum benevolentiâ, conceſſus præſtantiſsimi applauſu.

Commendatio. Pro repetitionis actu acutiſsimi Papiniani aſſumo reſponſum *in l. centurio* 15 *ff. de vulg. & pup. ſubſt.* textus eſt nomine celebris, materiâ gravis, deciſione inſignis, &, ut Bartoli verbis utar, *Eſt Lex iſta famoſa, utilis, pulchra.* En ejus verba.

Textus. *Centurio filiis, ſi intra quintum, & vicesimum annum ætatis ſine liberis vitâ deceſſerint, directò ſubſtituit. Intra quatuordecim annos etiam propria bona filii ſubſtitutus jure communi capiet: poſt eam autem ætatem, ex privilegio militum, patris dum taxat, cum fructibus inventis in hæreditate.*

Materia. Compendioſæ ſubſtitutionis materiam continet, & quidem de ſubſtitutionum materiâ ait *Ant. Gom. 1. var. cap. 3. in princ.* quod eſt alta, ſubtilis, & quotidiana, & *Emanuel Suarez in adnot. ad eundem*, quod nemo ferè eſt inter interpretes, qui ſummis laudibus non efferat & utilitatem, & exageratam ſubſtitutionum ſubtilitatem, & quod ſummæ ſint iis gratiæ habendæ, qui de illâ accuratè, copiosè, ac laudenter conſcripta monumenta

Iterum commendatur.

ta apud poſteros tranſmiſere. Et *Alberic. in repetit. l. 1. de vulgar. col. 1.* ſe ſe in magnis hereditatibus uſu percepiſſe hanc materiam apprimè accommodatam eſſe explendis advocatorum marſupiis; ſpecialiter verò de compendiosâ teſtatur hîc *Bart.* quod *alta multum eſt, & ſubtilis, & malè tractata, & magis communis, quam aliqua alia.*

Poſt *Bartolum* autem in eâ ſœliciter laborarunt multi in diſcurſu præſentis repetitionis citandi; At ego adhærendo noſtræ Academiæ ſtatuto, dum ait in iſto actu ſtudiorum flores à repetente colligendos, non veterum tantùm opiniones referam; ſed in hoc ſubtilitatis viridario teneros aperiam flores ingenii proprii noviter nutritos radiis, qui tamen in terrâ matre, in juris inquam viſceribus, habeant radices, & puris ſapientiæ fluminum rigentur aquis, ac ut meliùs res diſponatur in duas partes dividitur. Diviſio.

Prior continebit tractatũ de compendiosâ ſubſtitutione, cujus cognitio ad intelligentiam textus noſtri eſt antecedens neceſſarium.

Poſterior deciſionem ejuſdem textus, ex priori deductam, declarabit.

PARS Prima.

Continet tractatum de substitutione compendiosâ.

Definitio compendiosæ. EX *Bartolo hîc n* 9. substitutio compendiosa sic definitur: *Est quæ sub conditione mortis, vel aliâ, multa complectitur tempora.* Addo ex Covarruv. & Costa, *& propter diversitatem temporum, plures diversas substitutiones.* Ita, inquam, *Cov. in cap. Rainuntius* 2. 9. *n.* 1. *de testament. Cost. in cap. & pater in princip. n.* 13. *eodem tit. lib.* 6. quidquid Gomes. 1. *var. cap.* 7. *n.* 1. 1

Divisio hujus partis. Ad definitionis verba principaliorem materiam hujus substitutionis declarabimus; 1°. sub quâ conditione concipi valeat? ad definitionem ibi, *sub conditione mortis, vel aliâ*; 2°. quæ tempora complectatur? circa verba ibidem, *multa complectitur tempora*; 3°. quas comprehendat substitutiones? ad ultima, ibi, *plures diversas substitutiones*; 2

4°. addam à quibus, & quibus perſonis fieri poſsit? 5°. per quæ verba?

3 Quo ad primum omnes fatentur compendioſam ſubſtitutionem fieri ſub conditione mortis; nam *in tx. noſtro* teſtator dixit: *Filio meo, ſi intra viceſsimum & quintum ætatis annum vitâ deceſſerit, Sempronium ſubſtituo.* 1 Punctum

4 Dubium eſt an ſub alia concipi valeat? *Bart.* in d. definitione ait: ſub conditione mortis, *vel aliâ*. Sit exemplum: *Filio meo, ſi navis ex Aſiâ venerit, Sempronium ſubſtituo.* Ac iſta eſt communis opinio.

5 Sed in contrarium affirmant multi Doctores omninò debere fieri ſub conditione mortis; ut conſtat ex his quæ *Cov. in cap. Rainuntius §. 9. n. 2. de teſtam. Coſt. in cap. ſi pater 1. p. verbo, decederet, ex n. 4. eodem tit. in 6.* Moventur præcipuè, quia, ſi concipiatur ſub aliâ conditione, v. g. *Filio meo ſubſtituo Sempronium, ſi navis ex Aſia venerit*, non comprehendet pupillarem, cum ad effectum iſtius mors filii requiratur; ergo non erit compendioſa.

6 In hoc articulo noviter dicit *Coſta ſubra n. 6.* in tali ſubſtitutione etiam contineri pupillarem;

pillarem; nam quemadmodum in hac: *Filio meo ſubſtituo Sempronium*, comprehenditur pupillaris, ultra vulgarem, *arg. l. jam hoc jure 4. de vulg. ubi Paul. Alex. & alii*, quia in verbo *ſubſtituo*, intelligitur conditio mortis, id eſt, *ſi filius impubes moriatur*, ita erit quamvis adjiciatur, *ſi navis ex Aſia venerit*, cum hujus, vel ſimilis conditionis adjectio non repugnet pupillari, *l. qui liberis 8. in princ. ff. hoc tit. de vulgari*. Huc uſque bene; addit tamen id non eſſe ex virtute ſubſtitutionis compendioſæ, imò potiùs ex breviloquâ; unde qui pro *Bart.* pugnaverat probando, non ideò minùs ſub verborum compendio pupillarem contineri, quòd mentio mortis facta non ſit, jam facit contra eundem, inquiens illud non in compendioſam, ſed in breviloquam ſubſtitutionem tranſire.

Sed contra ſtat quod, compendioſa eſt 7
quæ ſub verborum compendio exprimit diverſas ſubſtitutiones, propter diverſa tempora, ſed quæ proveniunt ex unâ tantùm perſonâ; *ut n. ſeq.* exemplificabimus; breviloqua autem quæ brevibus verbis declarat plures ſuſtitutiones ejuſdem ſpeciei ex diverſis perſonis

perſonis reſultantes, ut ſi teſtator duobus heredibus inſtitutis, adjiciat, *eoſque invicem ſubſtituo*; in quâ ſpecie duæ vulgares exprimuntur provenientes ex diverſis perſonis, ſcilicet ex duobus hæredibus. *Ita Cov. in d. cap. Rainuntius §. 9. n. 2. Gom. 1. var. cap 8. per tot.*
8 *idem Coſt. in d. cap. ſi pater in princ. n. 11.* Ex quo infertur in d. formâ: *Filio meo, ſi navis ex Aſia venerit, Sempronium ſubſtituo*: non verti breviloquam, ut *Coſta* dicebat, ſed compendioſam; primò, quia in illis verbis ſunt duæ diverſæ ſubſtitutiones, videlicet vulgaris, (ſi filius ab hæreditate patris excludatur, & navis veniat;) item pupillaris, (ſi filius in pupillari ætate decedat, & veniat navis;) quod eſt ſecundùm naturam compendioſæ, & contra naturam breviloquæ, quæ non diverſas, imò ſimiles ſubſtitutiones complectitur. Deinde quia illæ diverſæ ſubſtitutiones proveniunt ex unius perſonâ, ſcilicet filii, quod diximus eſſe ſecundùm naturam compendioſæ; & de breviloquæ naturâ venit quod ſubſtitutiones decendant ex diverſis perſonis ut declaravimus. Quare licet verum ſit, in his verbis: *Filio meo Sempronium ſubſtituo*:

ſubſtituo: vulgarem, & pupillarem comprehendi, ut optimè probat *Coſta*; exiſtimo tamen hoc non ex breviloquâ, ſed ex compendiosâ naſci, contra illum.

Et progrediendo in defendendâ *Bartoli* doctrinâ de quâ *n.4.* citati à *Cov. in d. cap. Rainuntius §. 9. n.2.* putant, eam non eſſe intelligendam ut omninò ſine conditione mortis compendioſa fieri valeat, ſed quod, ſi fiat ſub aliâ conditione, ſemper ſubintelligatur mortis conditio, cujus implementum, ad effectum, ſit neceſſarium. Sed non video *Bartoli* verbis hoc adaptari; ait enim: *Illa eſt compendioſa, quæ ſub conditione mortis, vel aliâ, multa complectitur tempora.* Quæ particula disjunctiva, *vel*, evidenter declarat compendioſam poſſe concipi, vel ſub conditione mortis, vel ſub aliâ, nullâ nec expreſsè, nec tacitè habitâ mortis mentione. 9 10

Equidē ego exiſtimo rectè, ut ſolet, *Bartolū* hoc docuiſſe; nam nullū video inconveniens ex eo quod nulla adſit mentio mortis, quominùs ſubſtitutio verè compendioſa ſit; fingamus teſtatorem ſcripſiſſe, *Inſtituo hæredem Titium, & ſi navis ex Aſia venerit, ſubſtituo Sempronium*; 11

Sempronium; abſque conditione mortis, iſta compendioſa eſt; nam ſi navis veniet poſtquam Titius repudiavit, intrat vulgaris; ſi venit poſtquam Titius adivit intrat fidei commiſſaria, atque ita cum ſub illo verborum compendio duæ diverſæ ſubſtitutiones comprehendatur venientes ex diverſis temporibus, ſcilicet, ante, & poſt aditionem; procul dubio compendioſa eſt, ut ex propoſitâ definitione patet; quod autem tempora ante, & poſt aditionem diverſa reputari debeant, in 2°. puncto probavimus ex *n.* 14.

12 Neque obſtat quod contrarii Autores *n.* 5. conſiderabant, nempe quod ſine conditione mortis non comprehenditur pupillaris. Nam poteſt reſponderi hoc negando, adhuc enim pupillaris comprehendetur ex eâdem conditione ſubintellectâ juxta notata *n.* 6. vel meliùs puto dicendum, quod etiam ſi pupillaris non contineatur, non ideo ſequitur compendioſam non eſſe; ad hanc enim non eſt preciſum quod verba omnes ſubſtitutiones complectantur, ſed quod plures ſpecie differentes, *ut n.* 1. cum ergo in diſpoſitione ſub aliâ conditione quàm mor-

tis plures diversæ substitutiones veniant, vulgaris, scilicet, & fideicommissaria, *ut n.* 11. satis est ad compendiosam constituendam.

Maneat igitur in hoc 1 puncto, compendiosam substitutionem fieri posse sub conditione quacunque, etiam nullâ mortis mentione expressè, vel tacitè factâ.

2 Punctum Sequitur secundum punctum de temporibus; in quo ex communi sententiâ colligitur, in hac substitutione duo solùm tempora considerari ad producendas diversas substitutiones; unum pupillaris ætatis, quod generat pupillarem; alterum pubertatis, ex quo fideicommissaria procedit. 13

Ego autem, pace communis, considero ulteriùs tempus ante, & post aditionem hæreditatis; probo ex *Bart. hic n.* 9. dicenti, tempora quæ in compendiosâ comprehendunduntur, esse tempus pupillaris ætatis, pubertatis, vel aliud, quod verbum, *aliud*, intelligitur de tempore ante, vel post aditionem hæreditatis, ut intelligit *Lancelotus Galeaula in repet. ad nostrum tx. n.* 38. 14

Cui intellectui non obstat quod respondet *Covid. cap. Ratnuntius §. 9. n.* 1. *verfic.* 15

secundum,

ſecundum, Bartolum voluiſſe ſignificare, compendioſam non tantùm fieri poſſe uſque ad tempus pupillaris ætatis, ſed & uſque ad aliud, ſcilicet ad adoleſcentiam, & ipſam ſenectutem, quoniam iterum reſpondeo, quod cùm *Bart.* ageret de temporibus, quæ propter ſui diverſitatem conſtituunt diverſas ſubſtitutiones, non locutus eſt de tempore, (poſt pubertatem) adoleſcentiæ, vel alio, ſiquidem hæc non faciunt diverſas ſubſtitutiones, (ſolummodo enim eas diſtinguunt tempora impubertatis, & pubertatis) ſed egit de temporibus ante, vel poſt additionem, quæ ob ſui diverſitatem producunt differentes ſubſtitutiones, hoc eſt vulgarem, ſi fiat locus ſubſtituto priuſquam hæres adeat; fideicommiſſaria, ſi idem admittatur poſt additionem.

16 Vlteriùs, tempus ante, & poſt additionem in definitione compendioſę conſiderandum, probo, quia, ſine eo, definitio non comprehenderet totũ; patet, nam, (licet comprehenderet pupillarem, & fidei commiſſariam, ex tempore ante, & poſt pubertatem) non comprehenderet vulgarem, quæ quidem non

nascitur ex eo quod filius moriatur pupillus, vel pubes; sed ex eo quod decedat ante, vel post immixtionem; ut, si decedat ante, intret vulgaris; si post, ipsa evanescat; ut igitur definitio n. 1. vulgarem contineat, debemus intelligere verba: *multa complectitur tempora*, non solum de tempore pupillaris ætatis, & pubertatis; sed etiam de tempore ante, & post aditionem. Neque obstat 17
Cost. in d. cap. si pater in princ. n. 13. verſic. ex qua receptâ, dicens, tempora ante, & post aditionem non vocari tempora, sed casus; nam potiùs tempora vocari mihi probat §. *in extraneis Inst. de hæred. qualit.* inquiens quod in extraneis hæredibus inspicitur capacitas tribus temporibus; nempe, tempore factionis testamenti, tempore mortis testatoris, & tempore aditæ hæreditatis. Ita hoc punctum resolutum manet.

Advertendo cum Bart. quod in compen- 18
diosâ potest testator tempora, id est annos, limitare, ut in nostro tx. ibi: *si intra 25. ætatis annum*, ultra quam ætatem substitutio evanescit, vel non limitare, ut *in l. precibus & C. de impub. & aliis*, ibi, *non usquam ad*

certam

certam ætatem, & tunc ſemper locum habebit.

19 De veniendo ad tertium punctum de ſubſtitutionibus quæ in compendioſâ comprehenduntur, breviter dico, omnes alias in eâ complecti: nam, ſi pater impuberi ita ſubſtituit: *Filio meo Sempronium ſubſtituo*; ſi filius non ſit hæres, intrat vulgaris; ſi ſit hæres, & pupillus decedat, pupillaris; ſi pubes moriatur, fidei commiſſaria; ſi fortè eſſet furioſus, vel mente captus, exemplaris; ita *Gom. d. l. var. cap 7. n. 2.* ſola reciproca in compendioſâ non poteſt comprehendi; ſunt enim contrariæ, cum illa contineat ſimiles ſubſtitutiones ex diverſis perſonis, iſta diverſas ex perſonâ eâdem. 3 Punctum

20 Ac ex eo quod hæc ſubſtitutio brevibus verbis alias comprehendit, *compendioſæ* obtinuit nomen, quod vidimus primò *in l. precibus* 8. *C. de impub. & aliis*, deſumptum forſitan *ex l. Mævius §. duorum ff. de legat. 2.* ibi, *orationis compendio.*

21 Sed quæro, utrum ſubſtitutiones, quæ in compendioſâ comprehenduntur, ſint tacitæ, vel expreſſæ? Reſpondeo cum *Bart. hic*, quod

quod ſunt tacitæ ſpecialiter, quia non ſunt declaratæ in ſpecie; expreſſæ genericè, quia effectivè comprehenduntur. Sequuntur plures apud *Gom. d. cap. 7. n. 3.*

4 Punctum Quartum punctum jam petit à quibus, & 22
quibus perſonis compendioſa poſsit fieri? & communis ſchola tenet, à ſolo patre, & impuberi filio; fundamentum: compendioſa eſt quæ plura complectitur tempora, & propter ea diverſas ſubſtitutiones, *ut n. 1.* hoc verò in ſolo filio impuberi verificari poteſt, qui ſi tempore pupillaris ætatis moriatur, dabit locum pupillari; ſi tempore pubertatis, fidei commiſſariæ; non autem verificabitur in extraneo, cum in eo talia non conſiderentur tempora.

Verùm enim verò ego exiſtimo compen- 23
dioſam poſſe fieri à quolibet, & cuilibet extraneo; ut uno verbo tetigit *Gom. d. 1. var. cap. 7. in prine.* cui fundamentum addo; quod licet in extraneo non dentur tempora impubertatis, & pubertatis; dantur tamen tempora ante, & poſt aditionem, quæ, ut diverſa, ſubſtitutiones diverſas gignunt, in quibus compendioſæ definitio verificatur;

ut

ut notavimus *in 2 puncto, ex n.* 14. & confirmo ex his quæ *Cost. in l. precibus n.* 46. *C. de impuber. Pariſ. conſ.* 33. *n.* 4. *lib.* 2.

24 Quintum, & ultimum, ac utilius punctum quærit quibus verbis compendioſa ſubſtitutio concipi valeat? in quo receptum video, fieri poſſe verbis directis, indirectis, & communibus; apparet *ex Bart. hîc à n.* 14. *Cov. in d. cap. Raimuntius §.* 9. *n.* 4. *Coſt. in d. cap. ſi pater in princ. n.* 1. & aliis. 5 Punctum

25 Directa verba cenſentur quæ diriguntur inteſtatorem, vel ſubſtitutum, ex quibus iſte per ſe ſine alterius facto hæreditatem capit, *gloſ. in l. eam quam verbo directis, C. de fideicom.* verbi gratiâ: *Inſtituo hæredem Titium, & ſi quid tale acciderit, Sempronius hæres eſto.* Vel ſimile.

26 Indirecta (quæ etiam obliqua, precaria, ſeu fideicommiſſaria) quæ diriguntur in hæredem, & ita requirunt ipſius in reſtitutione factum; ut, *Inſtituo hæredem Titium, & ſi tale contigerit, ei jubeo, mando, rogo* (vel ſimile) *ut hæreditatem reddat*, vel, *reſtituat Sempronio*: prout in *l. cohæredi §. cum filio, l. facta, l. reſtituta ff. ad Trebell.* Item verba quæ imperſonaliter.

perſonaliter proferuntur, ut, *ut hæreditas mea detur, reſtituatur Titio.* Quia hoc caſu tacitè referuntur ad hęredem; ut docuit inſignis præceptor *Petrus Barboſa* in ſcholiis in hac Academiâ traditis ad hunc tx. *per l. ſi ſervus* 111. *§. qui Margaritam de legat.* 1.

Communia dicunt Doctores eſſe quæ u- 27
trique ſignificationi adaptantur, *gloſ. in l. precibus C. de impub. & aliis, & in noſtrâ l. centurio, communiter recepta, ut per Tiraq. in l. ſi unquam verbo revertatur n. 5. & latiùs ex n. 157. C. d. revoc. donat.* ponitur exemplum in verbis: *ſubſtituo, ſuccedat, habeat, perveniat*, & aliis apud *Bart hìc ex n* 43. & ſcribentes ordinarios.

Ego verò, omiſsis diſputationibus Docto- 28
rum, qui valdè inſudant in cognoſcendis his verbis; ſic intelligo materiam iſtam. In rigore omnia verba vel ſunt directa, vel indirecta, nec dantur communia. Probatur, quia vel diriguntur in teſtatorem, ut, *relinquo, inſtituo*, &c. aut in ſubſtitutum, ut, *habeat, ſuccedat, hæres ſit*, &c. quibus omnibus nullum hæredis miniſterium requiritur, ſed vel ipſe teſtator dat, vel ſubſtitutum capere jubet.

29 jubet. Vel dirigitur ſermo in ipſam hęreditatẽ, quod duobus modis fit; prior: *hæreditas mea deferatur, redeat, pertineat, vel vadat ad Titium*, & tunc indirecta cenſentur verba, nam licet expreſsè in hæredem non dirigantur, tamen cum proferantur imperſonaliter, & unuſquiſque preſumatur ſe conformare juri, deferetur hæreditas mediante reſtitutione hęredis ordinariâ, *in tit. ff. ad Trebellean.* cujus etiam eſt generis verbum; *ſubſtituo*, nam licet dirigatur in teſtatorem, tamen cum ſit verbum quo jus ſignificat ſubſtitutionem requirentem reſtitutionem, eidem reſtitutioni ſubjectam diſpoſitionem facit. Alter modus dirigendi verba in hæreditatem eſt: *hæreditas detur, reſtituatur Titio*; quo bene oſtenditur opem inſtituti requiri, &
30 verba ad inſtitutũ dirigi tacitè, ut *n.* 26. Poſſunt item verba dirigi ad hæredem, ut, *volo des, gravo te*, & ſimilia, de quibus non eſt dubium eſſe indirecta; dummodo in hæredem vivum dirigantur, nam ſi dicatur: *hæres meus Titio moriatur*, hoc erit directum, cum hæres mortuus nullum miniſterium queat facere, ac proinde neceſſe ſit quod ejus morte

hæreditas tranſeat ad ſubſtitutum ſucceſſorem deſignatum, *Coſt. in d. cap. ſi pater verbo, moreretur. n.* 11.

Certè non invenio verbum commune, 31
nec à parte rei datur, nam & teſtator judicium habuit certum in proferendo, & verba omnia unicam habent ſignificationem, quamvis ignorantia noſtra aliquando eam reddant dubiam; non ergo deficit jus, ſed probatio, ut aliàs inquit *tx. in l. duo ſunt Titii de teſtam. tut.*

Tamen ex æquitate aliter res procedit, 32
nam cum leges ultimis elogiis faveant, & ea interpretentur ut ſuſtineantur, *l. in teſtamentis (ſecundùm unum intellectum) de reg. jur.* introduxere quod verba aliqua vocarentur communia; quæ directa, nec indirecta erant clarè. Sciebant juris conditores ſubſtitutionē, verbis directis factam extraneo, vel filio puberi non valere, ut 2 *p.* 2. membro concluſionis agnoſcebant plura verba directa, ſubtilitate attentâ, quæ tales diſpoſitiones deſtruebant, ut ergo teſtatorũ voluntatibus ſuccurrerent, ſumptâ occaſione à ſignificationis ambiguitate, (quoad noſtrum intellectum, licet

à parte

à parte ei eſſet certitudo) conſtituêre quod aliqua verba communia vocarentur, ut directè, vel indirectè interpretari poſſent, ſicut teſtamentorum favori conveniret.

33 Suppoſito jam dari verba communia hoc modo inventa, qualia ſint inveſtigandum? &, variis omiſsis, concludo ſequendo prædictam æquitatem, quod verba directa, quæ nunquam indirectè ſumi poſſunt, ſunt duo tantùm; videlicet: *hæres ſit*, ſive, *inſtituo*; ſunt nanque merè civilia à jure inventa ut directam inſtitutionem demonſtrent; probatur ex his quæ *Bart. in præſenti n.* 15. *per l. lege obvenire* 130. *de verb. ſign. l.* 1. *& per tot. ff. de hæred. inſt.* Obliqua ſunt quæ clariſsimè oſtendant factum hæredis deſiderari, ut: *reſtituat, det, ſubſtituo*, & ſimilia; cætera quæ aliquam ambiguitatem patiantur, ut *ſuccedat, pertineat*; communibus adſcribo, ut in dubio, ſecundùm teſtamentorum favorem applicentur, quamvis ex ſubtili conſideratione directa, vel indirecta deberent judicari.

34 Neque his adverſatur *tx. in d. cap. ſi pater de teſtam. lib.* 6. dum ait in ſubſtitutionibus faciendam eſſe interpretationem ita ut ſub-

ſtitutio potiùs intelligatur directa, quàm obliquâ; unde videtur, magis hoc jus intendere, quàm favere teſtatorum voluntatibus. Reſpondeo enim, tx. non definire generaliter quod argumentum ſupponit, ſed declarat hoc faciendum, ſi, ut in caſu de quo ibi, interpretatio directa conveniat verbis defuncti, & inſtitutis perſonis; quod nec nos negamus.

His ſatis explicata, ut puto, compendioſæ 35
ſubſtitutionis materia quantùm pro hujus textus intelligentiâ eſt neceſſarium; jam ergo ejus concluſionem in 2 parte inſpiciamus.

PARS Secunda.

Explicat deciſionem textus.

Caſus. IN hoc textu centurio filio impuberi ita 1
ſubſtituit: *Filium meum hæredem inſtituo, & ſi intra 25. ætatis annum vitâ deceſſerit, Seius hæres ſit*, vel *Seium inſtituo*, quæ ſunt verba.

verba directa, ut diximus *in* 1 *p. n.*25. *&* 28. Quid juris erit? Duos eventus diſtinguit Papinianus, & in uno quoque decidit quæſtionem; ecce prior:

2 *Intra decimum quartum annum etiam propria bona filii ſubſtitutus jure communi capiet.* 1 Concluſionis membrum.

In hoc conſidero duo tempora; prius ſi filius moriatur intra 14 annum jam immixtus peternæ hereditati; poſterius ſi in eâdem ætate decedat, non dum patris hæreditati immixtus. Priori, ſubſtitutus ſuccedet jure communi, *ut tx. ait*, & quidem ex pupillari, quam
3 jus patribus permittit facere, *l.*2. *ſupra hoc tit.* hæc enim non ſolùm fit ſpeciali formâ: *Si filius meus hæres erit, & ante pubertatem deceſſerit, Seius hæres ſit*, ut in *princ. Inſt. de pupill.* Sed etiam comprehenditur in compendioſâ, ut diximus 1 *p. n.*1. *& in* 3 *puncto*, *n.*19. quâ teſtator in noſtro tx. eſt uſus, ut patet ex ibi-
4 dem notatis. Similiterque jure communi admittitur ſubſtitutus non ſolùm ad bona patris, ſed etiam ad bona filii, nam ſucceſsio ex pupillari utraque bona defert, probat *gloſ. verbo, filio, in d. princ. Inſt. de pupill. ex l. paterfam. & l. ſed ſi plures*, §. *ad ſubſtitutos hoc*

noſtro tit. & oſtendit ratio; nanque filius, (cum in vitâ patris jam quaſi Dominus poſſet vocari paternorum bonorum, §. 1. *Inſt. de hæred. qualit.*) per immixtionem, defuncto genitore factus eſt verus Dominus; ſed ſubſtitutus pupillariter ſuccedit in univerſum patrimonium filii in quo jam ſunt bona patris, ergo in omnibus ſuccedit; & hoc, certum in pupillari ſpecialiter conceptâ, non mutatur quando (prout hîc) illa in compendiosâ continetur. *Coſt. in cap. ſi pater verbo, bona omnia n. 1. de teſtam. in 6.*

Poſteriori tempore, ſcilicet decedente filio intra 14. annum non paternæ hereditati immixtus, eſt clarum ſubſtitutum etiam admitti jure communi, *ut noſter tx. dicit*, & ſanè ex ſubſtitutione vulgari quam paganus facere poteſt filio impuberi etiam verbis directis, & non tantùm ſpeciali formâ declaratam, ſed & in compendiosâ complexam, prout hîc, juxta notata, 1 *p. d.* 3 *puncto, n.* 19. 5

Dubium conſiſtit in ſciendo an tunc ſubſtitutus admittatur quoque ad bona patris ac filii? & contra *Azonem relatum à gloſâ verbo, patri. in princ. Inſt. de pupill.* reſponden- 6

dum

dum quod ſic; ex generalitate *noſtri textus*; & regulis ordinariis, ſecundùm quas pater, de quo jam multum confidit, propter fragilitatem impuberis quem habet in poteſtate, pro eo teſtari poteſt per tabulas *pupillares* nuncupatas, quarum forma comprehendit tam caſum quo impubes ante imixtionem decedat, quàm illum quo jam imixtus moriatur, ut videre eſt *in princ. Inſt. de pupill.* ubi talis iſtis ſubſtitutionibus modus præſcribitur: *Titius filius meus hæres mihi eſto; & ſi filius meus mihi hæres non erit, ſive hæres erit, & priùs moriatur, quàm in ſuam tutelam venerit, id eſt, ante quàm pubes factus ſit, tunc Seius hæres eſto*; Subintrat ergo diſpoſitio legum quæ pupillari ſubſtituto confert bona tam patris, quàm filii, *d. l. ſed ſi plures* 10. *§. ad ſubſtitutos ff. hoc tit.* quamvis *Azo* relatus in hac ſpecie ſola bona patris ei tribuat.

7 Hæc autem aliquas patiuntur difficultates; & imprimis non videtur quod ſubſtitutus admittatur jure communi; imò jure militari, quo miles in dubio uti intelligitur; ut videtur convinci ex *l. ſi miles unum* 6. *de militar. teſtam. junctâ l.* 11. *§. ſi ex fundo de hæred. inſt.* 1 Argumentum.

inſt. l. ſi duobus 38. *de milit. teſtam. junctâ l. un. §. his ita C. de caduc. toll. l. ſi miles ita* 42. *d. tit. mil. teſt. junctâ l. hæreditas ex die.* 34. *d. tit. hæred. inſt.*

Reſponſio. Quæſtio ſanè eſt difficilis utrum miles præſumatur uti jure communi, vel militari? quoad propoſitum dico; quod ubi datur remedium ordinarium, ad extraordinarium non eſt recurrendum; *l. in cauſa* 16. *ff. de minor.* ſed deciſio noſtri txs. jure ordinario valet, *ut n.* 6. ergo ad militare non recurrendum; ut porrò deberet fieri ſi ex regulis ordinariis militis diſpoſitio rata non eſſet, tunc enim intelligeremus eum voluiſſe facere actum meliori modo quo poſſet ſuſtineri, *l.* 3. *ff. de milit teſtam.* 8

2 Argum. Deinde quod diximus ſubſtitutum admitti ad bona tam patris, quàm filii habet objectiones notatas *à Bartolo hic n.* 3. una eſt de *l. ſed ſi plures* 10. *§. adrogato ff. hoc tit.* ubi ſubſtitutus pupillaris admittitur ſolùm ad bona patris, quod licet de filio adrogato loquatur, videtur ad naturalem extendendum, cum adoptio naturam imitetur *§. minorem Inſt. de adopt.* & quoad patriam poteſtatem 9 10

ſolent

ſolent æquiparari; *arg. l. 1. & tot. tit. ff. de adopt. princip. Inſt. eodem.*

11 Cui reſpondetur non in omnibus, ſed in plurimis filios naturales, & adoptivos adſimilari, ut loquitur *ex. in §. in plurimis Inſt. de adopt.* inter alias eſt una differentia quod pater poteſt in omnibus bonis filio naturali ſubſtituere, *l. 2. hoc tit. cum concordant.* Vnde procedit noſtra deciſio, adrogato autem ſubſtituere non poteſt niſi in quartâ, (quam ex reſcripto Divi Pii ei debet relinquere; *l. ſi adrogator 22. de adopt.*) vel in eis quæ impubes adrrogatus beneficio adrrogatoris acquiſivit, *d. l. ſed ſi plures §. in adrrogato in fine*; cætera namque bona reſtituenda ſunt illis, qui (ſi adoptio facta non eſſet) ad ſucceſſionem impuberis erant venturi, ut in §. *cum autem Inſt. de adopt. l. 2. l. ſi pater 15. §. in adrogationibus, l. nec ei 17. §. eorum, l. non aliter 18. cum ſeq. ff. eod. tit. l. impuberem 2. l. adrrogationes 6. C. eodem.* Reſponſio.

12 Iterum argumentatur *ex l. ſi miles ita 42. §. ſi miles ex hæredato ff. de milit. teſt.* ubi ſubſtitutus pupillariter à milite non admittitur, niſi ad bona patris. 3 Argum.

Reſponſio. Sed reſpondetur loqui de ſubſtituto dato 13
filio emancipato, vel exhæredato, cui pater
non potuit ſubſtituere, niſi in bonis quæ per-
venerunt ad filium ex bonis ipſius patris;
quia pupillaris non poteſt fieri niſi filiis in 14
poteſtate, *l. 2. de vulg. prine. Inſt. de pupill.*
ſed emancipatus non eſt in poteſtate patris, 15
§. præterea Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.
nec etiam exhæredatus qui pro extraneo ha-
betur; ergo, de juris rigore, pater in nihilo
poterat ſubſtituere filio de quo ibi; verùm,
quia erat miles, ei ex privilegio conceſſum
fuit ut exhæredato, & emancipato poſſet pu-
pillariter ſubſtituere, non tamen amplè, ſed
intra limites bonorum quæ filius ratione e-
juſdem patris habuit; at filius de quo in no-
ſtrâ *l. centurio* in poteſtate patris erat, atque
ita etiam in propriis bonis accepit ſubſtitu-
tum, juxta normas ordinarias.

4 Argum. Denique arguitur *ex l. fin. C. de inſt. & ſubſt. l. precibus* 8. *C. de impub & aliis*, junctâ 16
explicatione *gloſæ ibi verbo omnimodo*, unde 17
deducitur quod ex tacitâ pupillari non ſuc-
ceditur in bonis impuberis, ſed pupillaris,
de quâ hîc comprehenſa in compendioſâ, eſt

tacita, ut negari non poteſt, ergo ex eâ ſubſtitutus non poteſt admitti ad impuberis bona.

17 Gloſa *hìc, & in d. l. precibus verbo, omnimodo*, reſpondet, in dictis juribus fuiſſe in medio impuberis matrem, cui tacita pupillaris non poterat debitam ſucceſsionem adimere; in præſenti verò tx. matrem eſſe mortuam, ac proinde nullum dari obſtaculum quominùs talis ſubſtitutio plenum habeat effectum. Reſponſio gloſæ.

18 Sed refragatur quod divinatoriè noſtri textus generalitatem reſtringat; Item, quia minùs bene ſupponit, pupillarem comprehenſam in compendioſâ eſſe tacitam omninò, eſt enim expreſſa ſaltem genericè ſub verborum compendio; ut diximus 1 *p. in* 3 *puncto, n.* 21. & hoc modo excludit matrem, Refragatur.

19 ut patet *in cap. ſi pater teſtam. in 6.* Neque obſtat *d. l. precibus C. de impub. & aliis ſubſt. & d. l. fin. C. de inſt. & ſubſt.* ubi tacita pupillaris matrem non expellit, nam ibi eſt tacita in vulgari comprehenſa non virtute verborum, ſed vi Legis, *l jam hoc jure hoc tit.* unde cum ex verbis merè ſit tacita, rationabiliter

biliter matri non præjudicat; (de quo *Bart. hîc n.5.*) at contenta in compendiosâ, quæ quodammodo expreſſa eſt, ei fortiùs præjuditium parat.

Vera reſponſio.

Ex quâ refutatione gloſæ jam videmus ſolutionem ad argumentum; quod ſcilicet ideò in juribus allegatis ſubſtitutus non admittitur ad bona filii quia mater erat in medio, & ſimul pupillaris erat merè tacita, in vulgari complexa tantùm vi Legis; in præſenti autem ſubſtitutus etiam bona filii habebit, quamvis mater vivat, quia iſta pupillaris non indiſtinctè eſt tacita, imò quaſi dici poteſt expreſſa in verborum compendio. 20

Adverte.

Solùm reſtat ſcire quæ bona tempore fforum, de quo eſt noſter *tx.* filius iſte habere poterat in quibus verificari poſſet quod Papinianus decidit, ea ad ſubſtitutum pertinere? primâ facie videtur quod nulla, nam eo tempore quidquid filius acquirebat in pace, patri acquirebat; *l. acquiritur 10. ff. de acq. rer. dom. l. placet, (ſecundùm communem allegationem) ff. de acq. hæred. prino. Inſt. per quas perſon.* & licet in bello acquiſita eſſent pecu- 22

lium

lium Caſtrenſe filii, de quo *in tit. ff. de Caſtrenſi pecul. & C. eodem lib.* 12. ad quorum exemplum quaſi Caſtrenſia introducta ſunt, *l.* 1. *§. nec Caſtrenſe ff. de collat. bon.* quæ ſunt per filiumfam. in publico officio pacis acquiſita, de quibus *gloſa verbo, quibuſdam, in §. ſciendum Inſt. quib. non eſt permiſ. fac. teſt.* tamen filius de quo hîc, cum eſſet minor 14. annorum, impubes ſcilicet, ut tx. ait, non poterat eſſe miles, quia ad militiam nemo ante 18. annum admittebatur, nec in eâ ætate publicum officium poterat exercere; ergo nulla
23 bona poterat habere. Sed dico, ultra ſupradicta, potuiſſe filiumfam. impuberem poſſidere bona quæ fortè ex hæreditate, vel legato ei relicta fuerant expreſſâ conditione quod ad ipſum tantummodo, non ad patrem, irent, *arg. l. fideicommiſſa* 11. *§. ſi cui de legat.* 3. *l. ſi ita* 15. *quando dies leg. ced. l. ſi melior* 22. *ad Trebell. l.* 3. *C. de inſt. & ſubſt.* in his igitur præſens deciſio poterat verificari. Hodie verò in plurimis caſibus locum ſortitur, cum bona adventitia apud filium in ſolidum remaneant ex novâ conſtitutione *l. cum oportet C. de bon. quæ liber. cujus meminit §.* 1. *Inſt. per quas perſon. nob. acq.*

Manet itaque in caſu noſtri textus, quod 24
ſi filius moriatur intra 14 annum, ſubſtitutus capiet, jure communi, non ſolùm bona patris, ſed etiam propria ipſius filii. Sequitur modo alterum membrum deciſionis.

2 Membrum deciſionis. *Poſt eam autem ætatem*, id eſt, 14 annum, 25
ex privilegio militum, patris dumtaxat bona ſubſtitutus capiet.

Dividitur in 3 puncta. In hoc tria ſunt explicatione digna: 1. Subſtitutum admitti ex privilegio militari: 2. Admitti ad ſola bona patris: 3. An admittatur quaſi ex directâ ſubſtitutione, vel quaſi ex fideicommiſſariâ?

1 Punctum Quoad primũ, (ſuppoſito ſubſtitutionem 26
poſſe fieri verbis directis, indirectis, & communibus, ut explicavimus *in 5 puncto 1 p. ex n.* 24.) ſciendum eſt, ſubſtitutionem factam à pagano verbis directis eſſe inutilem, (niſi fiat filio in poteſtate, & iſte moriatur impubes, *l. 2. hoc tit.*) Ratio eſt, quia ſubſtitutus verbis directis, (id eſt, *hæres eſto*, vel *inſtituo*, ut *d. 1. p. n. 25. & n* 33.) eſt etiam factus hæres cum primo inſtituto; & ſic manebant duo hæredes in ſolidum, quod non poteſt eſſe, *l. quod* 27
contra 184. *§. uni duo de reg. jur.* primus enim, fictione

fictione juris, repræſentat defunctum, *auth. de jurejur. à mor. præſt. coll.*5. unde defunctus jam repræſentatus in ſolidum, non venit repræſentandus ab alio, (ſcilicet à ſubſtituto) ſimul; nam ſicut vivens unam tantùm habebat perſonam; ſic fictio juris (quæ veritatem imitatur §. *minorem Inſt. de adop.*) non debet in unius locum ſubrogare duas in ſolidum, a qualiter, ac ſimul.

28 Contra quod non obſtabit conſiderare quod inſtitutus repræſentabit defunctum, donec ſubſtitutus intret; hic verò intrans totam repræſentationem ſuccipiet, & ita ceſſabit inconveniens duarum perſonarum repræſentantium; quia reſpondetur, etiam ex introitu ſubſtituti, inſtitutum non deſinere repræſentare, quia ſemel hæres non poteſt deſinere eſſe hæres, *l. ei qui* 88. *l. hæreditas ex die de hæred. inſt. l. & ſi ſine* §. *quod Papinianus de minor.* nam quemadmodum in veritate eſt impoſsibile quod homo ſit, & non ſit, ita fictio, ejus imitatrix ut ſupra, non poteſt efficere, ut qui verè eſt hæres, & defunctum repreſentat, deſinat eſſe hæres, ut eleganter explicavit *in ſignis præceptor Barboſa in d. pri-*

vatis

vatis ſcholiis ad noſtrum tx. in principio. Igi- 29
tur ſi teſtator vult traſmittere hęreditatem ab inſtituto ad ſubſtitutum, debet hoc facere gravando hæredem per ſubſtitutionem obliquam, §. fin. Inſt. de pupill. quod vocatur fideicommiſſum univerſale, de quo in tit. ad Trebellean. & Inſt. de fideicom. hæredit. in quo non datur inconveniens de quo ſupra, quia primus hæres non definit eſſe hæres, nec fideicommiſſarius, hæres efficitur; §. reſtituta Inſt. de fideicom. hæred. in tantùm, ut ſi quid 30
dandum ſit hæredi, primo hæredi dari debeat, non autem fideicommiſſario; l. qui hæredi 44. §. 1. ff. de condit. & dem.

Miles tamen poteſt directò cuilibet ſub- 31
ſtituere, l. milites 5. junctâ glosâ, ff. de milit. teſt. l. in teſtamento C. eodem; quia in militibus nil attenditur, niſi quod eorum voluntas adimpleatur; l. 1. ff. d. tit. non ita qui- 32
dem ut inſtitutus, & ſubſtitutus ſint hæredes ſimul, repugnat enim ratio, de qua n. 27. ſed ut intrante ſubſtituto extinguatur jus inſtituti, ac ſi non fuiſſet, & incipiat novum jus ſubſtituti, ut explicat Galeaula hîc n. 11. & 182. Corneus in l. precibus n. 43. C. de impuber. quâ

ratione

ratione ſecundò inſtitutus non ſuccedit primo, ſed militi, cujus hæreditas denuò jacet, ac ſi à principio ſubſtitutus foret inſtitutus; *Bart. in l. Marcellus 5. quidam liberis n. 9. ad Trebell. receptus, ex Alex. in l. qui Romæ, duo fratres n. 57. ad fin. de verbor. Riminald. in l. inteſtamento 1. n. 8. C. de milit. teſt.* quidquid poſt alios, *ſuccin. hîc n. 11.* cui ſatisfacit *Galeaula ex n. 183.* & hanc noſtram declarationem defendit *Coſt. in cap. 5 pater 3 p. verbo, obliqua, n. 53. de teſtam. in 6.* Quin imò ait *Cumanus hîc n. 4.* quod ſi miles in tali ſubſtitutione voluerit, quod ſubſtitutus ſuccedat primo, ejus diſpoſitio non valebit, quia miles non invenitur privilegiatus ut poſsit alteri dare hæredem, *arg. §. fin. Inſt. de pupillar.* quod ſanè intelligendum quando miles expreſſerit ſe hoc velle; nam in dubio, quamvis dicat, velle quod ſubſtitutus inſtituto ſit hæres, interpretabimur, quaſi dixerit, ut ſit hæres ipſius militis, loco inſtituti; ut ſuſtineamus diſpoſitionem, *arg. l. fin. C. hær. inſt.* Senſit *Bart. hîc n. 3.* & expreſsit *Fulgoſ. in d. l. precibus n. 11.*

33

34 Ex quibus lucet intellectus noſtri txs. dum

ſubſtitutum admittit *ex privilegio militum*, ſecundùm quod ſubſtitutio de quâ agitur valet, facta cuilibet, quamvis directò, *ut n.* 31. quæ jure ordinario evaneſceret ubi primùm filius pervenit ad pubertatem, *ut ex n.* 26.

2 Punctum Vnde etiam infertur ad ſecundum principale propoſitum, *n.* 25. ſubſtitutum admitti ad bona *patris dumtaxat*, nam in bonis filii poteſt pater ſubſtituere directò jure communi uſque ad pubertatem, non poſt, *ut n.* 26. cum verò privilegium militi permittat hoc facere, *ut n.* 31. non debet extendi ultra ipſius bona; ſi enim ad filii bona duceretur jam darentur duæ ſpecialitates contra communem opinionem de quâ *in l.* 1. *C. de dot. promiſſ.* una quod ſubſtitutio directa poſt pubertatem valeret; altera quod comprehenderet bona filii, contra regulam dictantem, quod non poſſum onerare quem non honoro; & licet mihi videatur, non omnino prohiberi duas ſpecialitates concurrere; (de quo alibi,) tamen non eſt dubium difficiliùs concedi; quod ſufficit ad juſtificandam præſentem deciſionem. 35

3 Punctum In tertio de quo *n.* 25. quæſtionis utilitas 36

eſt,

eſt, quod ſi ſubſtitutus ex directâ admittitur, habebit bona militis ſine diminutione; ſi verò ex fideicommiſſariâ, inſtitutus reſervabit quartam Trebelleanicam. Et, quidquid dixerit *Pileus relatus hîc à glosâ*, cum eâdem concludo ſubſtitutum ex directâ admitti; confirmat *Bart. Angel. Alex. ſuccin. & omnes hîc, Cov. in cap. Rainuntius §. 9. n. 6. de teſtam. Coſt. in cap. ſi pater 3 p. verbo, interdum, ex n. 44. eodem tit. lib. 6.* nam ſi miles poteſt directò ſubſtituere, *ut n. 31.* ad quid neceſſarium erit directam ſubſtitutionem in fideicommiſſariam tranſmittere? precipuè cum ſubſtitutiones ex poſt facto non varientur, *l. verbis civilibus 7. ſupra hoc tit.*

37

38 Oritur verò quæſtio an noſter tx. admittens ſubſtitutum ex directâ, procedat ſolùm mortuâ matre filii, vel etiam vivente eâ? & antiqui Doctores (ut apud *gloſ. & cæteros hîc*) ſolùm matre defunctâ directam admittebant; ſed, eâ vivâ, fideicommiſſariam; quia cum pietas naturalis vocet matrem ad filii ſucceſsionem, *l. nam etſi parentibus 15. de inoff. teſt.* quod poſtea redactum fuit ad neceſsitatem legis certo modo ſervato, *ut in tit.*

ff. ad Tertullian; videtur patrem non potuisse jure communi puberi substituere in præjuditium matris, & si militi conceditur ex privilegio, saltem petit æquitas, ut directa substitutio convertatur in fideicommissariam, ut minus sit præjuditium matris, retentâ ab eâ quartâ Trebelleanicâ. Adstipulatur tx. *in l. precibus* 8. *C. de impub. & aliis* ubi, stante matre in medio, substitutio directa post pubertatem filii, fit fideicommissaria.

Attamen moderni admittunt directam in 39
omni casu; ut *ex Cov. d. §. 9. n. 6. & Cost. supra ex n.* 44. tam ex tx. nostro, cujus generalitas non est restringenda, *l. non distinguemus, de recept arbitr.* quàm ex libertate militis ad disponendum *per l. 1. de milit. test.* ac expressiùs *per l. filiusfam. miles* 29. *eodem tit.* ubi miles potest in bonis propriis filio quoquo modo substituere, etiam in præjuditium avi ipsius filii qui eidem erat successurus.

Quâ verâ opinione retentâ jam vide- 40
mus præjuditium matris (à priori sententiâ consideratum) non attendi, dummodo militis voluntas observetur. At in respondendo ad tx. *in d. l. precibus C. de impub* juris interpretes

terpretes omnes ingenii nervos intenderunt, ut ait *Coſt. ſup. n.* 45. *verſ. & juris* & ſanè maxima videtur antinomia inter illum, & noſtrum tx; ad quam enodandam undecim conciliationes diverſorum adducit idem *Coſta*; & quamvis ultima nova ſit quidem ſubtilis, & vera, tamen quia, typis mandata, nota eſt, referam aliam minùs vulgarem, quia in privatis ſcriptis ab inſigni præceptore *Barboſâ* belliſimè tradita eſt *in ſcholiis ad l.*
41 *verbis civilibus hoc tit.* Ait caſum txs. *in d. l. precibus* eſſe diverſum à caſu noſtrę *l. centurio*; quoniam hîc teſtator ſubſtituit uſque ad 25 annum ętatis filii, ut tx. declarat; unde nil mirum ſi mortuo poſt pubertatem filio, admittatur ſubſtitutus ex directâ; at ibi teſtator ſubſtituit ſine limitatione temporis, ſed quandocunque filius moreretur, ut patet ibi; *non uſque ad certam ætatem*; & quæ *Bart. hîc n.* 9, unde, poſt pubertatem, ſubſtitutus intrabit ex fideicommiſſariâ. Ratio diverſitatis eſt, quod quando ſubſtitutio fit ſolùm uſque ad certam ætatem, præſumimus teſtatorem uſque ad eam non confidere de juditio filii, & ſic velle pro eo teſtari; quod licet

jure communi non ſuſtineatur, tamen ex privilegio militari ſuſtinetur, ſi non tanquam, inſtitutio, ſalrem tanquam ſubſtitutio, & directa, ut ſic magis ad unguem impleatur voluntas militis, qui voluit ſubſtitutum facere hæredem ſine diminutione quartæ partis. Verùm quando ſubſtitutio non habet tempus limitatum, non eſt veroſimile teſtatorem voluiſſe in omnem vitam pro filio teſtari, ſed potiùs ſe conformare cum jure, & ſecundùm illud filium fideicommiſſo gravare, in quo ſenſu verba directa obliquantur; quæ interpretatio corroboratur authoritate *Ripæ hìc n.66. Alciat. n. 65. & in l. verbis civilibus ſupra hoc tit. & lib.10. parerg. cap.1.*

Quod ſi in hoc remaneat ſcrupulus, dic 42
cum *Bart. hic n.8. & 12. communiter approbato ut per Soccin. hìc n.21. Rip. n.6. Dec. n.15. ad fin. Alciat. in d. l. verbis civilibus n.24. hoc tit. Polit. in tract. de compend. n.21.* quod ideo hîc ſemper ſubſtitutio eſt directa, quamvis mater vivat, quia factâ fuit per verbum inſtituo, vel aliud directum, ut conſtat ibi: *directò ſubſtituit*; at in *d. l. precibus* ideo fuit fideicommiſſariè interpretata, quia facta fue-

rat

rat per verbum: *ſubſtituo* per quod verbum tx. ille ſemper loquitur; quod eſt commune non quidem ex tx. ad hoc allegato *in l. jam hoc jure* 4. *hoc tit.* quia ibi non vocatur commune verbum: *ſubſtituo*, ſed vocatur communis hæc oratio: *vos invicem ſubſtituo*, quia erat reciproca; nec ex tx. *in l. generaliter* 6. *§. cum autem C. de inſt. & ſubſt.* qui hoc non probat, meo judicio, ſed ex his quæ diximus *n.* 27. quibus addo *Bart. hîc n.* 47. *communiter receptum, ut per Cov. d. §.* 9. *n.* 5. vel potiùs eſt verbum indirectum, ut *n.* 33.

43 declaravimus: non obſtante conſideratione *Galeaulæ hîc n.* 52. *& Viglii in princ. Inſt. de vulgar. n.* 4. quod cùm verbum *ſubſtituo* dirivetur ab *ſtatuo*, ſicut & verbum, *inſtituo*; ſiquidem *inſtituo* eſt directum, ſimiliter erit directum *ſubſtituo*; Reſpondetur enim verbum, *inſtituo*, eſſe directum ex ratione de quâ *n.* 33. verbum autem, *ſubſtituo*, propter particulam, *ſub*, quæ eſt, *infra*, ſignificare inſtitutionem in ſecundo gradu; quæ in jure fideicommiſſaria ſolet eſſe, *ut n.* 29. *tetigimus.*

44 Nec iterùm obſtantibus verbis *d. l. precibus*, ibi: *eos habeat hæredes quos pater ei conſtituit*;

unde

unde prædictus præceptor *Barboſa* deducit etiam ibi teſtatorem ſubſtituiſſe verbis directis; nam, pace tanti viri, reſpondeo illud non probari; ſolùm vocat tx. ſubſtitutos datos à patre, *hæredes*; quia (etiamſi verbis obliquis nominati ſint) ſemper ſubſtituti appellantur ſecundi hęredes, *l. 1. ff. hoc tit.* atque ita *gloſ. in d. l. precibus* interpretatur verbum, *conſtituit*, pro *ſubſtituit*; & rectè, ſequendo modum loquendi quo tx. uſque illuc uſus fuerat.

Stat ergo ſubſtitutum à milite datum di- 45
rectè filio impuberi, ſi moriatur uſque ad tempus limitatum, ſi filius jam pubes (intra tempus tamen limitatum) decedat admitti ex ſubſtitutione directá (licet mater filii vivat) per militare privilegium ad omnia bona patris.

Addit Iureconſultus:

Cum fructibus inventis in hæreditate. 46

De quibus fructibus loquatur tx. variant Doctores; ut per *Coſt. in d. cap. ſi pater 3 p. verbo, obliqua, ex n. 43. de teſtam. n. 6.* &, omiſsis ab eo reprobatis, ſit ſatis referre ejus novam ſententiam: quę hoc intelligit de fructibus

ctibus qui tempore mortis filii inveniuntur in hæreditate, id eſt, in bonis patris; quod ſic declaratur; ſi filio mortuo ſubſtitutus admitteretur (ex aliquâ ratione) per ſubſtitutionem fideicommiſſariam, ut *in l. precibus* 8. *C. de impub. & aliis*; caperet quidem bona patris, ſed nullos fructus; nam, non eos qui, à filio collecti, ipſius patrimonium erant facti, neque eos quos, poſt mortem filii, ejus hæredes perceperunt ante reſtitutionem factam ſubſtituto; (hi enim fiunt hæredis qui reſtituere debet, ita ut non veniant in reſtitutione, *l. mulier* 22 *§. ſi hæres ad Trebell.*) ergo nullos. At quando ſubſtitutus admit-
47 titur ex directâ ut in noſtrâ *l. centurio*, ſolito ingenio Papinianus inquit, habiturum quoque fructus bonorum patris; id eſt illos qui percepti ſunt ex talibus bonis poſt mortem filii, dum hæredes filii non tradiderunt ſubſtituto bona dicti patris; nullum enim jus invenitur quod tribuat eos fructus hæredi filii; imò pertinent ad ſubſtitutum, ad quem pater, filio mortuo, voluit tranſmittere bona ſua ita directò, ut, ex privilegio militari, non ſuccedat ſubſtitutus filio inſtituto, ſed militi

testatori, cujus hæreditas denuo jacere incipit; ut notavimus *in hac 2. p. 2. membro conclusionis, n.* 32. & quia iterum incipit esse hæreditas patris, ideo Iureconsultus ait, *cum fructibus inventis in hæreditate*, hoc est, *in hæreditate patris*.

Finis. Supradicta nostri textus decisioni sunt genuina; ultra quæ aliquo modo occasione verborum illius non pauca possunt tractari, utpote quæ requirantur ut miles habeat privilegium de quo hîc; item de conditione *si sine liberis*, & similia; (quæ tamen specialem habent locum alibi;) sed neque tempus unius horæ & dimidiæ pro relectione præsenti ab Academiâ nostrâ taxatum, ampliora scholia permittit; nec, quamvis permitteret, ageremus nisi de propriis ac nostræ Legis conclusioni necessariis; ex ratione quam latè assignavimus in nostro tract. *Perfectus Doctor, Qualit. 23. n.* 10. & breviter retulimus in repetitione *ad l. corruptionem C. de usufr.* 1 *p n.* 107. 48

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri.

INDEX

Rerum principalium, quæ in his repetitionibus continentur.

p. partem, n. numerum significat.

A.

Actio personalis pro usufructu consideratur dupliciter *ad l. corruptionem C. de usufruct.* 2 *p. n.* 1. imò etiam tripliciter, *ad d l.* 3 *p. n.* 12. *&* 13. quo tempore hodiè præscribatur, *d.* 2 *p. n n.* 2. quid jure digestorum, *ibi n.* 3. ampliationes, & limitationes, *vide nn. seqq.* ad conquendum ex testamento est personalis, *ibidem n.* 10 actio personalis regulariter durat in perpetuũ, *n.* 11. pro servitute qualibet quo tempore tollatur, ex *n.* 16. pro usufructu, an tollatur capitis diminutione, 3 *p. ex n.* 12. an ipso jure, vel ope exceptionis? distingue ut *in* 1 *p. n.* 9. *&* 2 *p. n.* 28. *&* 3 *p. n.* 14.

Actus servitus, vide *Servitus actus.*

Adoptio imitatur naturam, ad l. centurio ff. de vulgar. 2 *p. n.* 10.

Adrogatus filius, vide *Filius adrogatus.*

Adventitia bona sunt filii in solidum *ad l. centurio* 2 *p. n.* 23.

Annuæ præstationis ex testamento jus, & effectus, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 55 ex contractu, *ibidem ex n.* 60

Argumentum à pari habet magnam vim, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 4 de toto ad totum valet

valet etiam de parte ad partem, *ibi n.* 11.

B.

BOna adventitia, vide *Adventitia bona.*

Breviloca substitutio quæ sit, *ad l. centurio 1 p. n.* 7 non comprehenditur incompendiosâ, *ibi n.* 9.

C.

CAnonicum jus, vide *Jus.*

Capitis diminutiones quæ hodie usumfructum tollunt, *ad l. corruptionem 3 p. ex n.* 1. & quid jure digestorum, *ibi n.* 3. ampliatur, & limitatur, *nn. seqq.* minima est emancipatio, *ibidem n.* 5. maxima, & media amittit quæ sunt civitatis, *n.* 7. an tollat actionem pro usufructu? *ex n.* 12.

Castrense peculium, vide *Peculium Castrense.*

Communia verba in substitutionibus quæ sint, *ad l. centurio 1 p. n.* 7. & 33.

Compendiosæ substitutionis materia est alta, & communis, *ad l. centurio in præam. vers. compendiosa in fin.* compendiosa substituto definitur, *ibi, 1 p. n.* 2. sub quâ conditione concipiatur *ex n.* 3. exprimit diversas substitutiones propter diversa tempora, sed ex eâdem personâ, 7. & 8 quæ tempora comprehendat, *ex n.* 14. sit usque ad tempus, vel sine termino, *n.* 18. omnes alias comprehendit exceptâ reciprocâ, *n.* 19. inde nomen habet, *n.* 20. an eas comprehendat tacitè, vel expresè? *n.* 21. quibus, & à quibus personis fieri possit, *ex n.* 22. quibus verbis, *ex n.* 24. facta à milite filio impuberi quem effectum habeat, 2 *p. n.* 2, 25, & *n.* 45.

Conditio sub quâ substitutio compendiosa concipi potest quæ sit? *ad l. centurio 1 p. ex n.* 3.

D.

DEbitor qui debet decem, solvens quinque non præscribit alia, *ad l. corruptionem 1 p. ex n.* 15. per solutionem liberatur, *ibi 2 p. n.* 7. obligatus dare hæredi non liberatur dando fideicommissario universali, *ad l. centurio 2 p. n.* 30.

Defuncti voluntas, vide *Ultima voluntas.*

Directa verba quæ dicantur in substitutionibus, *ad l. centurio 1 p. n.* 25. & 33.

Dominium Legati, vide *Legatum.*

Dominus

INDEX.

Dominus quomodo, quando, & per quos dicatur uti, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 74.

E.

ECclesia quando non cadat in præscriptionem, quamvis non agat, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 34. habens prælatum inutilem, seu scismaticum, dicitur prælatum non habere, *ibi n.* 37.

Emancipatio non debet parare præjudicium filio, *ad l. corruptionem* 3 *p. n.* 5. efficit minimam capitis diminutionem; quæ tamen non tollit usumfructum, *ibid.*

Emancipatus filius, vide *Filius.*

Exemplaris substitutio comprehenditur in compendiosâ, *ad l. centurio.* 1 *p. n.* 19. an tacitè, vel expresè? *ibi n.* 21.

Exheredatus filius, vide *Filius.*

F.

FActo usufructus consistit, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 5. & omnes servitutes, *ibi n.* 6.

Fictio juris imitatur veritatem, *ad l. centur.* 2 *p. n.* 27.

Fideicommissaria substitutio comprehenditur in compendiosâ, *ad l. centurio* 1 *p. n.* 19. an tacitè, vel expresè? *ibi n.* 21. Fideicommissaria verba in substitutione quæ sint, *n.* 26. & 31.

Fideicommissarius universalis non est hæres, *ad l. centur.* 2 *p. n.* 29.

Fideicommissum universale quid sit, *ad l. centur.* 2 *p. n.* 29.

Fides mala sufficit ad retinendam servitutem, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 79. sed ad acquirendam requiritur bona, *ibi n.* 80. & 32 *n.* 15. an requiratur in tollendo usufructu per non utendo? *n.* 1 *p. n.* 101. requiritur in præscriptionibus, *ibi n.* 102. etiam actionum, *n.* 107.

Filius non debet præjudicari ex emancipatione, *ad l. corruptionem* 3 *p. n.* 5. in vitâ patris est quasi dominus bonorum patris, *ad l. centur.* 2 *p. n.* 4 naturalis, & adrogatus æquiparantur, *ibi n.* 10. sed non in omnibus *n.* 11. adrogatus debet habere quartam adrogantis, & ejus successio cui deferatur, *ibidem.* emancipatus non est in potestate patris, & an possit ab eo habere substitutum? *n.* 13. de exhæredato *ibid.* quidquid olim acquirebat, erat patris, & quando secus; & quid hodie, *ex n.* 21.

Finis legis declarat principium, & è contra *ad l. corruptionem,* 1 *p. n.* 41.

INDEX.

Fructus qui veniunt in restitutione hæreditatis, *adl. centurio 2 p. ex n. 45.*

H.

HÆredes duo in solidum non possunt esse *ad. l. centurio 2 p. n. 27.* repræsentant defunctum, *ibidem.* semel hæres non potest desinere esse hæres *n. 28.* nisi sit institurus à milite, & ei datus substitutus directo, *n. 32.* quos fructus debeat restituere fideicommissario, *n. 46.*

Hostilitas an impediat præscriptionem, *ad l. corruptionem 1 p. ex n. 39.*

Humanæ sortes sunt variæ, *ad l. corruption. 1 p. n. 8.*

I.

IGnoranti acquiritur legatum, *ad l. corruptionem 1 p. n. 21.* & etiam deductum in contractum, *n. 23.*

Impedimentum ad utendum, & agendum præjudicat, quamvis justum, *ad l. corruption. 1 p. n. 75* distinguitur si est facti, vel juris, *ibi n. 29. & 43.* non interest si venit ante, vel post actionem, *ex n. 30.* neque si impedit directè, vel indirectè, *n. 33* facti, metetur restitutionem, *ex n. 48.* quale sit justum, *n. 52.* quomodo probetur, *n. 53.* excusat à pœnâ, vel morâ, sed non facit quod cessat actio ad id quod non est impletum, *n. 4*

Indirecta verba in substitutionibus quæ dicantur, *ad l. centurio. 1 p. n. 26. & 33.*

Itineris servitus, vide *Servitus itineris.*

Jus ususfructus est debilius, quam proprietatis, *ad l. corruption. 1 p. n. 9. & 95* quod est de toto quo ad totum est de parte quoad partem, *ibi n. 11.*

Jus Canonicum observandum, in materiâ in quâ civile fovet peccato, *ad l. corruption. 1 p. n. 104.*

L.

LEgatarius ususfructus, quomodo eum amittat non utendo, *ad l. corruptionem 1 p. ex n. 14.* quomodo acquirat quodcunque legatum, *ibi ex n 20.*

Legatum rectâ viâ transit in legatarium, *ad l. corruption. 1 p. n 20. & 2 p. n. 6.* acquiritur ignoranti, *d. 1 p. n. 21.* annuum continet plura legata, *ibi n. 56.* pro primo anno est purum pro sequentibus conditionale, *n. 57.* non sufficit contra eum una præscriptio,

præſcriptio, *n.* 37. & 59. dies ejus cedit per ſingulos annos, *n.* 58. filio ne acquiratur patri, obſervatur, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 23.

Leges unæ intelliguntur per alias, *ad l. corruptio.* 1 *p. n.* 41. principium declarat finem, & è contra, *ibid.*

M.

MAgiſtratus quando, & quomodo poſſunt conveniri, & agere, & quomodo pro eis, vel contra eos currat præſcriptio, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 43.

Mater an, & quando excludatur à ſucceſſione filii cui pater ſubſtituit pupillariter? *in l. centurio* 2 *p. ex n.* 16 quid ſi pater miles ſubſtituit directò, *ex n.* 38. per viam regulæ ſuccedit filio, *n.* 38.

Miles an videatur uti jure communi, vel militari? *ad l. centur.* 2 *p. ex n.* 7. quomodo ſubſtituat filio emancipato, vel exhæredato, *ibi n.* 13. poteſt ſubſtituere directò cuilibet, *ex n.* 31.

N.

NOva, non vetera ſant ſcribenda, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 107.

O.

OBliqua verba in ſubſtitutione quæ dicantur, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 26. & 33.

Ordinarium remedium, vide *Remedium.*

P.

PAter tenetur relinquere quartâ filio adrogato, & in eâ ſolâ poteſt ei ſubſtituere, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 11. naturalis acquirit per filium, & quando ſecùs, *ibi ex n.* 21. non poteſt ſubſtituere directò, niſi filio qui moriatur impubes, *n.* 26. aliud in milite, *ex n.* 31.

Peculium Caſtrenſe, & quaſi Caſtrenſe quid ſit, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 22. non acquiritur patri, *ibidem.*

Perſonæ à quâ, & quibus compendioſa ſubſtitutio fieri poſſit, *ad l. centur.* 1 *p. ex n.* 22.

Peſtilentia an impediat præſcriptionem, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 39.

Poſſeſſio naturalis ſine actu non eſt poteris ad acquirendum fructus, *ad l. corruptio.* 1 *p. n.* 4. poſſeſſio non eſt neceſſaria, ut legatum acquiratur, *ibi n.* 22.

Precaria verba in ſubſtitutionibus quæ dicantur, *ad l. centurio*

centurio 1 *p. n.* 26. & 33.

Prælatus inutilis, vel scismaticus, non dicitur Prælatus, *ad l. corruption.* 1 *p. n.* 37.

Præscriptio contra desides est inducta, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 26. impedito non currit, & quomodo intelligatur, *ibi ex n.* 27. corporalium, & incorporalium æquiparatur, *n.* 28. quando non currat contra Ecclesiam, nec contra Magistratum, *ex n.* 43. quomodo currat in annuis præstationibus, *ex n.* 55. & 64. vel ad vitam, *n.* 68. & 70. vel ad tempus, *n.* 64. & 70. quot annis perficitur regulariter, *n.* 94.

Pretium succedit loco rei, *ad l. corruption.* 1 *p. n.* 86.

Principium legis declarat finem, & è contra, *ad l. corrupt.* 1 *p. n.* 41.

Privatio supponit habitum, *ad l. corrupt.* 2 *p. n.* 8.

Proprietatis jus est fortius jure usufructus, *ad l. corrupt.* 1 *p. n.* 9. & 95.

Pupillaris substitutio requirit ad effectum mortem *ad l. centurio* 1 *p. n.* 5. comprehenditur in vulgari, *n.* 6. & in compendiosâ, *n.* 19. utrum tacitè, vel expressè? *n.* 21. quomodo fiat, *ibi* 2 *p. n.* 3. & 6. expressa defert substituto bona patris naturalis, & filii, *ibi n.* 4. & *ex n.* 9. aliud in filio adrogato, *n.* 9. & 11. aliud etiam si est tacita, & mater in medio, *n.* 16. & vide *n.* 19. non fit nisi filiis in potestate, *n.* 13.

Q.

Quarta Divi Pii debet relinqui filio adrogato, & in eâ potest dari substitutus, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 11.

R.

Reciproca substitutio, vide *Breviloca*.

Remedium ordinarium facit cessare extraordinarium, *ad l. centurio* 2 *p. n.* 8.

Restitutio datur impedito à facto, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 48. debet implorari, *ibi n.* 49.

S.

Scientia requiritur ut quis dicatur uti, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 75.

Servitus facto consistit, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 6. itineris conservat servitutem actus, *ibi ex n.* 12. retinetur malâ fide, *n.* 79. sed non acquiritur nisi bonâ fide, *n.* 80.

Servus fugitivus quomodo amittatur,

amittatur, *ad l. corruption.* 1 *p. n.* 83. & 84.

Sortes humanæ ſunt variæ, *ad l. corrupt.* 1 *p. n.* 8.

Specialitates duæ an poſſint concurrere? *ad l. centurio* 2 *p. n.* 35.

Subſtituo verbum complectitur conditionem mortis. *ad l. centur.* 1 *p. n.* 6. eſt indirectum, *ibi n.* 29. & 33. & 2 *p. n.* 43.

Subſtitutionum materia difficillima, & utiliſſima, *ad l. centurio in proœmio, verſic. compendioſæ.* Subſtitutiones omnes comprehenduntur in compendioſâ, exceptâ reciprocâ, ſeu breviloquâ *ibidem* 1 *p. n.* 19. an tacitè, vel expreſsè? *n.* 21. an indubio interpretentur directè, vel indirectè? *ex n.* 32. ſubſtitutio compendioſa, vide *Compendioſa*; Pupillaris, vide *Pupillaris*; Vulgaris, vide *Vulgaris*; Breviloqua, vide *Breviloqua*, ſeu *Reciproca*. Fideicommiſſaria, vide *Fideicommiſſaria*; Exemplaris, vide *Exemplaris*. Subſtitutio facta à pagano verbis directis eſt inutilis, niſi filio qui moriatur impubes, 2 *p. n.* 26. à milite tamen valet, *n.* 31. ex poſt facto non variatur, *n.* 37.

T.

TEmpus non currit impedito, & quomodo intelligatur, *ad l. corruptionem* 1 *p. ex n.* 27. longum quod dicatur in præſcriptione *ibi n.* 92. non eſt modus tollendi obligationem, *n.* 99. tempora quæ complectantur in ſubſtitutione compendioſâ, *ad l. centurio*, 1 *p. ex n.* 13.

Teſtamenta ſunt favorabilia, *ad l. centurio* 1 *p. n.* 32.

Titulus an requiratur ad tollendum uſumfructum per non uſum? *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 105. an præſumatur? *ibi n.* 106. an requiratur ad acquirendum uſumfructum? *ibi* 3 *p. n.* 15.

V.

VErba per quæ ſubſtitutio compendioſa poſſit fieri, *ad l. centurio* 1 *p. ex n.* 24. verba diverſi generis, *ibid.*

Ultima voluntas favorabilis eſt, *ad l. centur.* 1 *p. n.* 32. militis obſervatur ad unguem, *ibi* 2 *p. ex n.* 31. & ſemper interpretatur ut valeat, *ibidem n.* 33.

Voluntas ultima, vide proximè *Ultima voluntas.*

INDEX.

Usufructuarius habet solùm naturalem possessionem, *ad l. corruptionem* 1 *p. n.* 4. quomodo usumfructum amittat per non utendo, *ibi ex n.* 1. *cum ampliationibus, & limit.* quando dicatur uti vel non, *ex n.* 74.

Ususfructus hodiè quo tempore amittatur non utendo *ad l. corrupt.* 1 *p. ex n.* 1. quo tempore jure fforum, *n.* 3. ampliatur *ex n.* 10. limitatur *ex n.* 55. facto consistit *n.* 5. jus ejus est minus validum quàm jus proprietatis, *n.* 9. & 95. censetur repetitus si constituitur ad vitam, *n.* 68. vel ad tempus, *n.* 69. finitur morte rei, vel personæ, *ex n.* 71. est jus merè personale, *n.* 72. si constituatur etiam pro hærede, erit novus, *n.* 73. reputatur diversè si sit in re immobili, vel non, *ex n* 91. an finiatur ipso jure, vel exceptione? *n.* 99. differt ab actione, 2 *p. n.* 1. de facili redit ad proprietatem, *n.* 13. quibus capitis diminutionibus hodiè tollatur, 3 *p. ex n.* 1. quid jure fforum, *ex n.* 3. est modus juris, *n.* 6. quomodo acquiratur per præscriptionem, *n.* 15.

Uti, vel non, quando quis dicatur, *ad l. corrupt.* 1 *p. ex n.* 74.

Vulgaris substitutio quomodo comprehendat pupillarem, *ad l. centurio*, 1 *p. n.* 6. comprehenditur in compendiosâ, *n.* 19. an tacitè, vel expressè? *n.* 21.

Finis Indicis rerum.

TEXTVS

TEXTVS

Vtriuſque juris qui (ultra principales) in his Repetitionibus interpretantur particulariter.

De Jure Civili ex Digeſtis.

L. 2. ff. quemadmodum ſervit. amitt. *adl. corruptionem C. de uſufr.* 1 *p. ex n.* 12. *&* 89.

L. ſtillicidii 8. §. ult. cum l. ſeq. d. tit. *add. l. corruption.* 1 *p. n.* 14.

L. excepta 14. ff. quib mod. uſusfr. amit. *d.* 1 *p. ex n.* 10.

L. placet 25. d. tit. *ex d. n.* 10. *& n.* 18.

L. ſi partem 19. in princip. quemadm. ſervit. amit, *ſupra* 2. *p. ex n.* 16. in §. 1. *in* 1 *p. ex n.* 19.

L. unus ex ſociis 34. §. ult. cum l. ſeq. de ſervit. ruſt. *d.* 1 *p. ex n.* 25.

L. Senatuſconſulto 16. de offic. præſid. *ibidem ex n.* 30. *maxime* 43.

L. naturaliter de uſucap. *ibi ex n.* 39.

L. 2. §. quod diximus, ſi quis caut. *ibi n.* 50.

L. ſi uſusfructus 28. quib. mod. uſusfr. amit. *ibi ex n.* 55.

L. ſi rem 62. §. fin. de eviction. *ibi n.* 68. *&* 70.

L. ſicut in annos 3. quib. mod. uſufr. amit. *ibi n.* 68, 69, 70, *&* 71.

L. Pomponius 29. quib. mod. uſusfr. amit. *ibi ex n.* 76. *&* 81. *&* 87.

L. uſu 20. cum l. ſeq. quemadm. ſervit. amit. *ex n.* 74. *& n.* 77.

L. 1. §. is cujus de itin. actuque priv. *ſup. ex n.* 78.

L. arboribus 12. §. uſufructuarius de uſufr. *ſupra ex n.* 74. §. de illo. *ibi n.* 83. *&* 84.

L. non utitur 38. de uſufr. *ſupra ex n.* 74. *& n.* 85.

L. is qui uſumfructum 20.

quib. mod. uſufr. amit. *ibi ex n.75. & n.88.*

L. 1. quib. mod. uſuſfr. amit. *ibi 3 p. ex n.12.*

L. paterfamilias de vulgar. ſubſt. *ad l. centurio 2 p. n.4.*

L. ſed ſi plures 10. §. ad ſubſtitutos, de vulgar. *ubi proxime.* §. adrogato, *ibi ex n.9.*

L. ſi miles ita 42. §. ſi miles de milit. teſtam. *ad. d. l. centurio 2 p. ex n 12.*

L. quod contra 184. §. uni duo de reg. jur. *ibidem n.27.*

L. ei qui 88. de hæred. inſt. *ibi n.28.*

L. hæreditas ex die de hæred. inſt. *ibi.*

L. & ſi ſine §. quod Papinianus de minor. *ibidem.*

L. milites 5. de milit. teſtam. *ſupra ex n.31.*

Ex Codice.

L. cum fidem 4 C. non num. pec. *ad l. corrupt. 1 p. ex n.15.*

L. 2. §. ult. C. d. annal. except. *ibi ex n.27.*

L. fin. §. donec C. de jure de lib. *ibidem n.31.*

L. pen. C. de ſervit. & aquâ, *n.93. & 96. — 92. & 98.*

L. fin. C. præſcript. longi-temp. *d. 1. p. n.92. & 97. & 3 p. n.15.*

L. fin. C. de inſt. & ſubſt. *ad l. centurio 2 p. ex n.16.*

L. precibus 8. C. de impuber. & aliis, *ad d. l. centurio, d. 2 p. ex n.16. & n.38 & ex n.40.*

L. in teſtamento C. de milit. teſtam. *d. 2 p. ex n.31.*

Conſtitutio de pace Conſt. §. ſententiæ, verſic. poſſeſſiones, *ad l. corrupt. 1 p. n.40.*

Ex Inſtitutionibus.

§. finitur Inſt. de uſufr. *ad l. corruptionem 1 p. n.90. & 100. & 3 p. ex n.2. & n.6.*

De Jure Canonico.

Cap. 1. de præſcript. *ad l. corruptionem 1 p. ex n.34.*

Cap. cum nobis 14. d. tit. *ſupra.*

Cap. auditis d. tit. *ibi ex n. 35.*

Cap. ex tranſmiſsâ eodem tit. *ibidem ex n.39.*

Cap. vigilanti 5. d. tit. *n. 103. & 104.*

Cap. quoniam 20. eodem tit. *ibidem.*

Cap. ſi pater de teſtament. in 6. *ad l. centurio 1 p. n.34.*

FINIS.